DISSERTATIO DE VSURARIA TRIUM CONTRACTUUM PRAUITATE...

Jacques Gaitte

DISSERTATIO DE VSVRARIA TRIVM CONTRACTVVM Prauitate.

VBI VSVRARII CONTRACTVS variis Scripturæ locis, diuersisque Conciliorum, summorum Pontificum, SS. Patrum, & Regum Decretis interdicuntur, ac prohibentur.

CVM ELENCHO CAPITVM.

EDITIO PRIMA.

LVGDVNI,

Apud IOANNEM CERTE ad insigne sanctissimæ Trinitatis.

M. DC. LXXIII.

Cum Approb. & Priuilegio Regis

APPROBATIO.

QVI non aliam quàm Scripturæ, Patrum, Pontificum, & Conciliorum authoritatem in componendis moribus agnoſcunt, neque ſatis tutò vitam Chriſtianam aliter inſtitui poſſe autumant : hos proculdubio liber hic *De Vſuraria trium Contractuum Prauitate*, non mouebit ſolum, ſed amouebit penitus ab omni iniquo fœnore. Datum Lugduni die 14. Iunij 1673.

MECHATIN in Academia Pariſienſi Doctor Theologus, Primatialis Lugdunenſis Eccleſiæ Canonicus, Lugduni Comes.

APPROBATIO.

EGo infraſcriptus ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor fidem facio, quod legi non modo attentè, ſed etiam cum ſumma voluptate libellum cui titulus eſt, *Diſſertatio de Vſuraria trium Contractuum Prauitate*, tria ſupra decem capita complectentem, eumque dignum iudicaui, qui prodeat in lucem, vtpote vere Chriſtianus, nec non Scripturæ nouæ & veteri, Conciliis, & Patribus maximè conſonus. Lugduni die 14. Iunij an. 1673.

BRVN Minorita.

ELEN

ELENCHVS

CAPITVM IN HAC Dissertatione Contentorum.

Caput

DISSER

LECTORI

BENEVOLO.

CHARISSIME LECTOR, hanc de Vſuraria trium Contractuum prauitate diſſertationem, ægrè admodum Iuris publici fieri paſſus ſum, quia ſcilicet vltimam manum præſenti tractationi non adhibui; non enim, vt verùm fatear, eo animo hoc opus conſarcinaueram, vt typis mandaretur, ſed vt quid hac de re ſentiendum eſſet ex Scripturis, Conciliis, ſummis Pontificibus, celebrioribus Theologis, demum ex iure ciuili tam Romano, quàm Gallico per ſcriptum aliquod exponerem; nam cùm iſtam difficultatem maxima animorum contentione agitari viderem, ea tumultuariè collegi, quæ mihi ex tempore in animum venire potuerunt, vt aliqua lux huic quæſtioni decidendæ pararetur; hoc ſanè no-

ſtrum fuit conſilium, hic vnus noſtro labori propoſitus ſcopus, vt aliquâ manuſcriptâ diſſertatione trium Contractuum prauitas, quam lex naturalis, Diuina, Eccleſiaſtica, & ciuilis condemnat, impugnaretur, & expugnaretur; nec enim profectò de hoc noſtro opere rudi adhuc, & indigeſto euulgando cogitaueram: Sed cum vir doctus, & pius hanc manuſcriptam diſſertationem legiſſet, dignam iudicauit, quæ in publicum emitteretur: Vnde factum eſt, vt accedente quoque eorum authoritate, quibus reſiſtere non erat liberum, eò tandem adductus ſim, vt eam typis excudendam permitterem, eâ tamen conditione, vt nomen meum prætermitteretur; tum vt ſoli Deo adſcribatur quidquid inde vtilitatis in proximum redundare poterit; tum vt honori meo proſpiciatur, quandoquidem hoc opus minùs elaboratum, quàm optaſſem, in publicum prodeat. Hoc itaque qualicunque opere interim vtere, & fruere, Chariſſime Lector, donec aliquid à me accipias, quod pluribus laboribus, & vigiliis elucubratum ſit; non enim deerit forſitan diligentiùs hac de re ſcribendi occaſio; maximè ſi quis ſophiſticis cauillis hujus ſcripti vim infringere tentauerit: vt vt ſit, non hæc ſcribo, vt quenquam ad cer-

tamen

tamen prouocem; ſed vt vincente veritate, & regnante æquitate inter Chriſtianos ſollicitè ſeruetur vinculum pacis, & concordia charitatis. Breuiter autem monitum te velim, me in Codice manuſcripto Capitulorum diſtinctione vſum non fuiſſe; quod tamen legenti oneroſiſſimum eſſe non ignoro; quiuis enim etiam legendi auidiſſimus opus quantumvis eximium vno ſpiritu percurrere reſpuit: maximè cùm viator per aliqua interualla quieſcere ſoleat: tum vt halitum ducere poſſit, tum vt hac ratione itineris laborem leuiorem faciat, qui alioquin nimia defatigatione frangeretur. Hanc itaque capitulorum diſtinctionem tam ad Lectoris laborem temperandum, quàm ad majorem materiæ claritatem adhibui: hoc autem ordine præſens diſſertatio in ſua capita diſtribuetur: Primò ſiquidem poſt Proœmium quæſtio proponetur, provt in vſu proponi ſolebat, cùm hæc ſcriberentur; non verò provt expreſſiùs iuxta trium Contractuum doctrinam proponi poterat: quod non ſine cauſa factum eſſe putes velim, cùm ex hujus quæſtionis ſic propoſitæ deciſione tam trium Contractuum doctrina damnetur, quàm abuſus detegatur. Deinde aliqua toti diſputationi præmittentur, quæ ad huius

 difficultatis

difficultatis tractationẽ, & solutionem suppositionum loco futura sint: sequetur propositæ quæstionis decisio, datæque decisionis probatio multiplex desumpta ex Scripturis, Conciliis, Pontificibus, Patribus, Iure Ciuili tam Romano, quàm Gallico, Doctoribus Theologis, vtriusque Iuris peritis, ac demum ex ipsa ratione: Postmodum objectiones adducemus, & diluemus: Denique in calce totius dissertationis sententiam nostram aliqua recapitulatione colligemus: hoc itaque Capitulorum ordine obseruato, eam methodum adhibebimus, vt ipsissima verba Conciliorum, Pontificum, Patrum, & Doctorum referamus, eaque integra transcribamus, vt omnes, quæ nunc sit, & quæ semper fuerit mens Ecclesiæ, facilè ex ipsis intelligant. Longum hoc fateor, & aliquibus tædio plenum videbitur; sed, ni fallor, vtilissimum, & planè necessarium, neminique onerosum, id futurum est: vtilissimum quidem, quia docti pariter, & indocti non mediocrem inde fructum percipient; illi enim vno ordine, & vna serie has authoritates legendo memoriam renouabunt, & eâ renouatâ, & excitatâ memoriâ vim argumẽtorum tam ex authoritatum pondere, quàm ex multitudine maiorem sentient; isti verò

quibus

quibus aut libri non suppetunt, aut libros euoluere per tempus non licet, vnâ lectione cognoscent, quid senserit antiquitas, quid Ecclesiæ prohibuerit authoritas, quid denique habeat veritas: non modò autem institutum nostrum vtilissimum erit, sed & planè necessarium: Dum enim Conciliorum Canones, Decreta Pontificum, Patrum, & Doctorum sententiæ numeris, aut primis verbis solùm annotantur, & indicantur, nullam, aut tenuem admodum vim habere noscantur, vel quia eorum memoria non recurrit, vel quia, licèt memoria excitetur, integra tamen eorum sententia non intelligitur, nec plenè percipitur, maximè cùm multi nec ea legerint, nec libros consulendi facultatem habeant, aut voluntatem: necessarium igitur fuit, vt & illorum memoriæ succurrerem, & vt istorum laboribus parcerem. Nulli denique consilium nostrum onerosum videri debet, nec esse poterit, cùm liberum sit vnicuique, eas solùm authoritates legere, quas majoris ponderis esse crediderit, & meliores iudicauerit; quid enim alias omittere vetabit? Dabimus etiam operam, vt in margine selectiora loca annotentur, & aliquibus notulis indicentur, vt sic, quantum possumus, lectorem & labo-

 re.

re, & onere leuemus. Sed in primis obseruandum est, nostram hanc dissertationem contra vsurariam trium contractuum prauitatem præcipuè conscriptam fuisse; quia tamen obseruauimus, aliquos temerè admodum christianam morum sanctitatem suis laxioribus opinionibus impetere, omniaque tam naturalia & diuina, quàm humana iura subuertere, vt varias vsurarum palliationes excogitent; ideo obiter multa ex Conciliis, Pontificibus, & Patribus collegimus, quæ eorum opinandi libertatem coërcerent, & temeritatem contunderent: quis enim æquo animo audiat, lucrum ex pecunia non esse absolutè contra naturam, nec contra legem, Prophetas aut Euangelium, illasque solas vsuras iure naturali, & diuino esse prohibitas, quæ à pauperibus; non verò quæ à diuitibus exiguntur? Quis sine stomacho ferat fictitiam istam distinctionem mutui in gratuitum, & non gratuitum, quasi id, quod supra sortem mutuo datum accipitur, tunc tantùm injustum sit, & vsurarium, iurique naturali, & diuino contrarium, cùm pecunia, aut aliquid aliud pauperi mutuo datur, vnde vitam, & statum sustineat? Quis sine dolore legat, apud catholicos Doctores, alioqui pios, nec Ecclesiam per suos Canones, nec Principes per

ſuas leges omnia hæc turpia lucra ex mutuo percepta abſolutè damnaſſe, aut prohibuiſſe; ſed ea ſolùm, quæ ex pecuniâ creditâ ad impenſas ſuſtinendæ vitæ, aut dignitatis legitimè comparatæ neceſſarias, exiguntur; Quis non miretur, viros Doctos ſcripſiſſe, multos haberi Canones ante Alexandrum III. quibus prohibitum fuerit perſonis laïcis, ne quid ſupra ſortem acciperent, nec ante Philippi pulchri tempora id ipſum ſtatutis regiis vetitum fuiſſe? Quis denique non obſtupeſcat, oculatos viros non legiſſe, aut ſaltem legendo videre noluiſſe, ſacros Canones lucrum omne ex pecunia mutuo data acceptum, genuſque omne vſurarum prohibuiſſe; Regiaſque conſtitutiones tanquam ſacrorum Canonum vindices grauiſſimis pœnis omnes cujuſcumque ſtatus & conditionis homines ab omni vſurarum labe cohibuiſſe? Quis enim, amabo, commentitias illas interpretationes admittat, quibus totum robur Canonum, vim omnem regiarum conſtitutionum infringunt? Volunt ſiquidem, ſacros Canones regiaſque leges nudâ niti præſumptione, quaſi lucrum omne ex pecunia prohibeant, non quia iniquum eſt, aut contra ius naturale, & diuinum; ſed quia ſæpe vſuræ labes ſur-

repere præsumitur, nihil itaque aliud ex eorum mente sacri Canones, aut regia statuta remouere voluerunt præter palliatas vsuras crudelitate plenas, aut oneris impositi magnitudine intolerabiles: ac proinde cùm præsumptio cessat, legem etiam cessare volunt, hoc est, cùm lucrum ex pecuniâ mutuo datâ non à pauperibus, sed à diuitibus exigitur, cùm non ad vitam, aut dignitatem tuendam, sed ad rem familiarem augendam pecunia credita est, tale lucrum non vsurarium, sed legitimum censeri debere contendunt. Contra istos authores insurgere tam æquitas, quàm necessitas suasit: nec propterea, extra consilium nostrum vllatenus vagabimur, aut excurremus, cùm ipsimet trium contractuum doctrinam ad palliandas vsuras, quæ à diuitibus exiguntur, extendunt: Triplex enim erroris gradus in doctrina trium Contractuum occurrit; alij numque tres contractus simul, & expressè cum eodem mercatore citra vitium iniri posse sentiunt: alij verò non tantùm simul, & expressè, seu explicitè, sed etiam simul, & implicitè, seu virtualiter cum eodem mercatore legitimè celebrari posse contendunt: alij denique societatem cum duplici assecurationis contractu implicitè, & vir-

tualiter

rtualiter iniri censent cum omni homine, cui pecunia traditur, dummodo ex ea res suas augeat, & amplificet, siue sit mercator, siue extra negotiationem, & mercaturam viuat. Contra omnes igitur istos Doctores insurgat necesse est, quisquis vsurariam trium Contractuū prauitatē impetere suscipit; Nos tamen eos præcipuè aggrediemur, qui tres cōtractus cum eodem mercatore siue expressè, & explicitè, siue implicitè, & virtualiter simul institui posse sentiunt; eos verò, qui triū Contractuum doctrinam ad omne aliud mutuum, quod cum diuitibus, qui negotiationem non exercent, initur, perperam extendunt, in tribus primis probationum nostrarum capitibus præsertim impugnabimus, vt eos Conciliorum, Pontificum, & Patrum authoritate potissimum expugnemus. Aduersus eos enim vsuram omnem iuri naturali, & diuino contrariam esse demonstrabimus, simulque ostendemus, longè ante Alexandrum III. (hoc est) ab initio nascentis Ecclesiæ, vsuram omnem tam Laïcis, quàm Clericis prohibitam fuisse. Denique ex sacris canonibus perspicuè probabimus, lucrum omne ex data pecunia perceptum esse vsurarium, legesque Regias illud tanquam iniquum, & vsuræ vitio infectum

 fectum

fectum absolutè damnasse , & grauioribus pœnis vetuisse , futilesque illas è præsumptione petitas interpretationes prorsus euertemus. Nulli itaque mirum videri debet, si cùm de vsuraria trium Contractuum prauitate scribere susceperimus , contra alia auaritiæ monstra pugnemus , maximè cùm hæc omnia iniquitatis portenta sub trium Contractuum pallio latêre conentur : ea porrò dicemus , quæ meliora pro tempore occurrent, selectiora, & validiora, aut saltem ornatiora aliquando dicturi , si veritas docuerit, si charitas suaserit, si æquitas nos ad scribendum obstrinxerit. Interim autem sedulus ero veritatis discipulus, vt ipsa intus illucescente, foris aliquando fieri possim tam Doctor ipsiusmet veritatis, quàm vindex violatæ, & labefactatæ æquitatis, donec sedeat iudex aduersùs eos, qui aut veritatem in injustitia detinent , aut injustitiam contra veritatem defendunt: Vbique autem, charissime Lector, ero pacis auidus, & charitatis amicus : mallem equidem esse discipulus, quàm Doctor veritatis ; sed charitas Christi plerumque vrget nos , vt simus tam indefessi veritatis propugnatores , quàm religiosi ejusdem veritatis contemplatores : vtrobique fateor , est maxima charitas,

charitas, ſed non ſemper profectò æqualis neceſſitas; quamvis enim tueri, & intueri veritatem æqualis ſit charitatis, non tamen paris eſt neceſſitatis. Iuxta conſilium igitur Auguſtini, Otium ſanctum quærat charitas veritatis; ſed negotium iuſtum ſuſcipiat neceſſitas charitatis.

PROOEMIVM.

HVMILITER fusis ad Deum precibus, spiritum veritatis, charitatis, æquitatis, & pacis inuoco, quâtenus mentes illustret vt veritas, corda accendat vt charitas, contentionum lites dirimat vt æquitas, voluntates conciliet vt pax: Ipse enim ex se lucet vt veritas ad sapientiam, ardet vt charitas ad beneuolentiam, iudicat vt æquitas ad concordiam, pacificat vt bonitas ad amicitiam; hoc mihi, vt verum fatear, imprimis cordi est, vt cum omnibus, si fieri potest, pacem habeam, sollicitus præcipuè seruare veritatem spiritus in vinculo pacis: contra errorem tamen insurgens pugnabo pacificus, vt simul cum proximo pacem foueam, & pro veritate contra falsitatem bellum geram. Quisquis enim, vt cum Augustino loquar, vel quod potest, arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit, vel quod saluo pacis vinculo excludere.

excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat, hic eſt pacificus, & ab iſto maledicto, quod ſcriptura dicit: *Væ iis, qui dicunt, quòd nequam eſt bonum, & quòd bonum eſt nequam,* omnino liber, prorſus ſecurus, penitus alienus eſt. Et reuera quid magis pacificum, quàm veritas, cùm ipſamet, quæ veritas eſt ad docendum; pax ſit ad conciliandum, & æquitas ad confœderandum; in ipſa enim profecto iuſtitia & pax oſculatæ ſunt; Quis tamen neſciat, quàm implacabiles cum falſitate gerat inimicitias? Quàm immane cum mendacio bellum habeat? Quantis minis iniquitatem terreat, & quantis fulminibus errorem proterat? Cùm itaque nemo poſſit duobus Dominis ſeruire, ne, cùm vnum diligit, alterum contemnat; quis audebit veritati diſplicere, ne diſpliceat errori, veritati injuriam facere, vt pareat mendacio? Audiat, quiſquis ille eſt, ipſam veritatem dicentem: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, qui non colligit mecum, diſpergit.* Satius itaque mihi eſt cum errore bellum, quàm pacem habere; ſic enim veritati concors cum ſecuritate, & gloria pugnabo; nullum ſiquidem terrebit

rebit periculum, & magnum profectò manebit præmium, ac illustre trophæum: semper enim veritas pugnando vincit, ac de hoste triumphat; quinimo ipsa potiùs est immortalis pugnantium victoria, immensa vincentium gloria, & immarcescibilis triumphantium corona. Summo itaque ardore veritatem tuebimur, vt ab ea protegamur; scuto enim circundabit nos veritas eius: summa religione eam colemus; res quippe diuina est veritas, cui non subesse impietas, resistere verò sacrilegium.

DISSER

DISSERTATIO
DE
VSVRARIA
TRIVM
CONTRACTVVM
Prauitate.

CAPVT I.

Quæstio proponitur.

NE à propoſito ſibi ſcopo noſtra aberrare poſſit oratio, ſtatim in capite totius diſputationis præſentis difficultatis nodum proponere viſum eſt; ſic enim fiet, vt intra certos limites conſilium noſtrum

noſtrum contineatur, ac lectoris animus clarè agnoſcat, quid in controuerſia poſitum ſit, & quò omnes rationes, quò omnia argumenta collimare debeant. Vt itaque qua de re agitur faciliùs innoteſcat:

QVÆRITVR, VTRVM IOANNES pecuniam apud Petrum mercatorem ponens, vltra integrum capitale ſibi ex pacto ſaluum, aliquid lucri aut alterius rei pretio æſtimabilis, licitè accipere poßit prætextu trium Contractuum.

ANtequam huic quæſtioni faciam ſatis, aliqua priùs neceſſariò obſeruanda ſunt, quæ ſuppoſitionum loco eſſe poſſint, ex quibus noſtræ ſententiæ fundamenta petantur, & oppoſitæ rationes diluantur; vnum tamen præmonuero, me rejectâ verborum pompâ, & neglecto orationis ornatu, claritatem potiùs, quàm elegantiam, aut dictionis venuſtatem ſequuturum, vt dilucidior præſentis quæſtionis ſolutio, quàm ornatior eloquutio eſſe poſſit: ſeruiant itaque verba-

verba Doctori , non Doctor verbis , vt ait Augustinus ; non enim gloria commoti venimus ad scribendum , sed vt veritati suppetias eamus , atque vt amicorum voluntati morem geramus. Habet etiam hoc peculiare polemica,& contentiosa tractatio , vt si propria artis vocabula negligantur , obscuritatem magis offundat , quàm claritatem ; itaque simplici, & demisso hac in re stylo vtemur, vt veritas omnibus peruia esse possit , cùm sit commune omnium bonum : aliunde verò externo ornatu veritas non indiget, cùm vno suo splendore circumfusa illustriùs radiet , quæ emendicato verborum fuco obscuratur potiùs, quàm ornetur.

CAPVT II.

Præsupponenda ad propositæ quæstionis elucidationem.

OBseruo primò , insatiabilem diuitiarum cupiditatem , quam auaritiam dicimus , sub honesta legitimorum contractuum specie variis se artibus occultare,

cultare, vt omniũ oculos deludens, ſecuriùs noceat, & callidiùs lateat; ſub hoc .n. probatarum conuentionum pallio improba ipſa ſerpit cupiditas, iniquis inhians lucris, & aliorum inſidians bonis, vt hominum ſimul odia fugiat, & opes quærat; eorum quippe oculos metuit, quorum loculos minuit: quantumvis autem honeſto pactorum pallio contegatur; vſque adeo tamen eſt pecuniæ auida, & æquitatis inimica, vt ſuo etiam qualicunque non parcat paludamento, ſeu veſtimento, cùm illud tanquam tinea corrodat; vnde dicere liceat, Omne pactum, ſub quo latêre tentat cupiditas, quaſi veſtimentum eſſe, quod comeditur à tinea; ſub æquitatis enim imagine veram fouet iniquitatem, in hoc dupliciter iniqua, quod iniqua videri nolit, & tamen æqua eſſe non poſſit. Licet autem cupiditatis virus in omnes humanæ vitæ conuentiones diffundatur; quippe quæ omnium contractuum iura dolosè imitetur, ne omnium iura violare videatur; periculoſiſſimè tamen in contractu mutui graſſatur, vt quibus poteſt artibus, ex eo vſuras extorqueat; ac ne ſuâ ſtatim turpitudine diſpliceat, varia quærit effugia

gia, vt hominum odia, & vituperia deuitet; vnde ipsum mutuum sub aliquorum probatorum contractuum specie, quantâ potest industriâ, occultare satagit, ne pecuniæ suæ vsuras exigere, sed potiùs rerum suarum vsum, & fructum percipere credatur; nihil enim magis timet, quàm ne nuda se se hominum oculis exhibeat; adeo est simplicitatis inimica, & fallaciæ studiosa ad excusandas excusationes in peccatis, vt innumerabiles induat formas, ne suam exuat; quippe quæ non tam emendare peccata, quàm occultare conetur: quapropter ad duo præcipuè capita, tanquam ad duplex iniquitatis palladium confugit, vt suæ securitati prospiciat; videlicet ad temporalis census ex vtraque parte redimibilis emptionem, & ad societatem duplici assecurationis capitalis, & lucri comitante contractu affectam, tanquam ad duplicem arcem, seu malis, ad duplex inexpugnabile propugnaculum omnia iura sua reuocat: nec hoc diffitebatur olim laxioris disciplinæ moralis Apologista in suo illo opere, quod censuris Sorbona notauit, Gallicus Clerus damnauit, & Apostolica Sedes anathemate

perculit:

perculit : ajebat enim pagina 107. *Ie-stime, que ces deux tiires suffisent pour tous les gens, qui prestent, à sçauoir le contract de societé, lorsqu'on preste à ceux, qui font quelque negoce, & celuy en vertu duquel on achete vne rente pour vn an, ou deux, sur quelque heritage de celuy, qui emprunte.* Quia tamen non audiui in hac Prouincia id, quod ex mutuo vltra sortem principalem accipitur, in contractum emptionis temporalis censûs, tanquam insufficientem titulum refundi; sed potiùs in eum societatis contractum rejici solere, quem duplex alius comitatur: alter quidem, quo capitale assecuratur: alter verò, quo probabiliter futurũ lucrum aut assecuratur, aut venditur: vel si malis, quo societatis fructus locantur, (variis enim modis in hac materia authores loquuntur) ideo de temporalis census vtrinque redimibilis emptione verba non faciam, vt tota ad aliud caput nostra conuertatur disputatio; ad vnam itaque societatem cum duplici adjuncto contractu celebratam tota tractatio nostra contrahitur, circa quam

Obseruo secundò, quòd licèt societas multis modis iniri possit, quippe quæ innumeras

innumeras pene induat formas; ad tria tamen capita, quantum ad præsentem quæstionem spectat, reuocari potest; aut enim vterque socius pecuniæ, laboris, industriæ, & expensarum partem ad societatem confert: aut alter solam pecuniam; alter verò solam industriam,& laborem ponit: aut denique alter solùm pecuniæ partem; alter verò præter pecuniæ partem, solus industriam, laborem, & expensas confert, ex quibus clarè patet, propositæ quæstionis casum ad primam societatis speciem nullatenus reuocari posse; sed ad secundam, aut tertiam necessariò pertinere, si quis illum ad societatem aliquam reduci posse contendat.

Obseruo tertiò, societatem, in qua alter socius solùm pecuniam; alter verò industriam, laborem, & aliquando etiam partem pecuniæ confert, honestam proculdubio censendam esse, vt ex vtroque Iure tam ciuili, quàm canonico, & ex ipsa ratione cuique erudito perspicuè constare poterit; ne tamen in immensum excrescat oratio, clarissimos ex vtroque iure peritos textus prætermittam, qui videri possunt *Lib.3. Inst.tit.de socie-*

tate,

tate , *ff. pro socio* , *& Cod. pro socio* , & *cap. per vestras, extra de donationib. inter virum, & vxorem.* Sed quod ad rem nostram apprimè facit, diligenter obseruo, hujusmodi societatem dupliciter spectari posse, primò quidem ex se præcisè, provt scilicet à duplici illo contractu assecurationis capitalis, & lucri libera, & absoluta est. Secundò verò provt isto duplici contractu affecta est, &, vt ita dicam, vestita : si primo modo hæc societas consideretur, certum est apud omnes, nec ab aliquo in dubium reuocatur, societatem tam damni, quàm lucri communionem inducere : vnde ipsemet Nauarrus *lib. 5. consiliorum tit. 19. de vsuris, cons. 8. num. 3.* ait, quòd omnes Doctores conueniunt in eo, quod nos scripsimus, *in manuali confess.* scilicet *c. 17. num. 251.* quod ad hoc vt societas iusta sit, tria requiruntur, scilicet vt negotiatio sit licita. Secũdò vt pecunia subjaceat periculo eam conferentis, hoc est, vt si pereat, tota illi pereat. Tertiò, vt in omnibus iudicio prudentis viri æqualitas seruetur, & pro quãtitate partium collatarum lucrum diuidatur, Hæc Nauarrus. Et reuerra cùm societas ius quodãmodo fraternitatis in se habeat

habeat, vt ait Vlpian. *l. Verum, ff. pro socio*; Ideo tam damnum, quàm lucrum commune inter socios esse debet; non enim alia ratione societas in se ius fraternitatis habere dicitur, vt notat *ibi* glossa, nisi aut quia socij inuicem vt fratres se diligunt, aut quia ratione societatis fiunt res communes, sicut ratione fraternitatis: hinc est, quòd societas definitur à Duareno: *Conuentio, quâ rerum inter aliquos mutua fit communicatio*: Vt intelligas, mutuam esse inter socios damni, & lucri communicationem, iuxta regulam iuris in 6. *Qui sentit commodum, sentire debet & onus*: Imò quod mireris, definitur societas ab aliquibus etiam contrariis authoribus, vt à Laymano, & aliis, *Conuentio inter aliquos contribuendi ad commune damnum, & lucrum secundùm proportionem rerum contributarum*: Naturalis enim æquitatis ratio postulat, vt inter eos commune sit onus, inter quos commune est emolumentum, vnde primaria lucri diuidendi regula, norma, & mensura ex ipsa rerum collatarum, industriæ adhibitæ, laboris impensi, aut cuiuscunque oneris suscepti quantitate desumi debet. Sit itaque hæc

istius

iſtius ſocietatis lex immutabilis : ſtet pecunia ſub ponentis periculo,lucrum verò ſecundùm proportionem rerum collatarum , aut oneris ſuſcepti proportionem inter ſocios diuidatur.Hanc legem natura ſanxit , vtrumque ius tam canonicum , quàm ciuile promulgauit, Doctores omnes ſuo calculo approbarunt , nec contrarij authores ſuum potuerunt denegare ſuffragium , quod vel ab inuitis ipſa naturalis ratio extorſit,cùm hanc legem in naturæ tabulis ſcriptā ignorare non potuerint , quam vel exiguum rationis lumen cuique videndam, & legendam clariſſimè exhibet.

Obſeruo quartò , duos illos aſſecurationis contractus ſocietati adiunctos,aut cum alio extra ſocietatem conſtituto , aut cum ipſo ſocio celebrari poſſe : Et ſi quidem cum ſocio celebrentur,aut ſimul, aut ſucceſſiuè , hoc eſt , aut ſimul cum contractu ſocietatis , aut poſt ſocietatis contractum ineuntur : quæ vt meliùs intelligantur,ſciendum eſt,pacta aliquando ſocietati ſuperuenire , aliquando verò interuenire:interuenire dicuntur,quæ ad ipſam ſocietatem certis quibuſdam conditionibus determinandam ſpectant , vt

dum

dum socij paciſcuntur ad inuicem, quam quiſque pecuniȩ, induſtriȩ, laboris, & oneris partem conferre, aut ſuſcipere teneatur, & conſequenter quam quiſque lucri partem percipere poſſit, & iſta pacta ſocietatis contractum ingrediuntur, vnde magis interuenire quàm ſuperuenire dicuntur; illa enim pacta ſuperuenire dicuntur, quæ ipſi ſocietatis contractui cõpleto, & abſoluto adijciuntur. Talis eſt contractus aſſecurationis capitalis; non enim aſſecuratur, niſi quod ſubeſt periculo; capitale autem non ſubiicitur periculo niſi ex contractu ſocietatis: aſſecuratio igitur capitalis ſupponit contractũ ſocietatis perfectum: Talis eſt etiam aſſecuratio, ſeu malis, probabilis futuri lucri venditio, aut locatio; non enim eſt ſpes aliqua futuri lucri niſi ea contracta ſocietate, cum pecunia ex ſocietate, non verò ex ſe cenſeatur. Neque hoc contrarij authores negant, aut negare poſſunt, cùm omnes fateantur contractum aſſecurationis capitalis, & contractum aſſecurationis lucri ſocietatem ipſam aut tempore, aut ſaltem naturâ, & ratione priorem præſupponere; quippe qui ab ea neceſſariò pendeant.

Obſeruo quintò, aliqua pacta interuenire, aut ſuperuenire contractibus, quæ contractuum naturam perimant; alia quæ non euertant quidem contractuum ſubſtantiam, vim tamen maximam inferant: Vnde contractus ipſos, quibus adiiciuntur, ita violare cenſentur, vt eorum incolumi remanente ſubſtantia, iniuriam magis, quàm necem inferant; alia denique pacta contractus nec interimere, nec violare, quorum aliqua frequentiùs, aliqua verò infrequentiùs adiiciuntur. Pacta primi generis contractus dirimunt, & quaſi inualidos faciunt; pacta verò ſecundi generis eos quidem non dirimunt, ſed polluunt, quamvis enim eos inualidos non efficiant, illicitos tamen conſtituunt: pacta denique tertij generis contractus nec dirimunt nec violant.

Obſeruo ſextò, aliud eſſe periculum facti, cui principalis ſors ſubiacere dicitur; aliud verò periculum Iuris: periculum facti eſt, cùm collata pecunia periculo committitur, eo ipſo quod extra manum ipſius conferentis ſit, ſiue caſu, aut culpâ, aut perfidiâ illius, cui commiſſa eſt, pereat: periculum verò Iuris voco illud, quod quis in ſe ſuſcipit ex obliga-

tionis

gationis vinculo, ita vt ſi pereat pecunia, ſuo damno pereat; quam quidem obligationem periculum facti non inducit; cùm mutuatarium pecuniæ iactura non exoneret. Licet enim impotens aliquando ad ſoluendum fiat, remanet tamen obligatio ſatisfaciendi creditori, ſi ad pinguiorem fortunam venerit.

Obſeruo ſeptimò, & vltimò, aliud eſſe proportionalem, aliud determinatam lucri partem; proportionalis enim pars habet quandam ad totum ipſum, & ad alias partes habitudinem, vnde numerali voce reſpectiua ſignificatur, V.G. dimidia, tertia, quarta, quinta dicitur: determinata verò pars eſt, quæ abſolutè ſignificatur ſine habitudine ad alias partes, & nominibus numeralibus abſolutis exprimitur, V.G. duo, tria, quatuor, quinque, &c. Tanta autem eſt huius diſcriminis in ſocietate ratio, vt ex partibus determinatis inæqualitas; ex proportionalibus verò æquitas oriatur; qui enim in vnam ſocietatem conueniunt, iuxta collatarum rerum, aut ſuſceptorum onerum proportionem, proportionalem etiam lucri partem percipere debent; hoc eſt, ſi id, quod alter ſocius ad ſocietatem

contulit, ſit dimidia, tertia, aut quarta pars cumuli eorum, quæ in ſocietate expoſita ſunt, naturalis æquitas poſtulat, vt proportionalem tantum totius lucri partem, eam nempe, quæ ei, quam contulit, reſpondet, percipere poſſit; ſi enim determinatam lucri partem percipere vellet, V. G. decem pro centum, grauiter alter ſocius læderetur, cùm etiamſi nullum eſſet lucrum, decem tamen pro centum dare cogeretur; ſi autem de parte tantùm proportionali quis paciſcatur, nulla inæqualitas timenda erit; nã ſi magnum ſit lucrum, percipiet dimidiam, aut tertiam, aut quartam partem magni lucri; ſi verò exiguum lucrum obueniat, accipiet dimidiam, aut tertiam, aut quartam exigui lucri partem; ſi denique nullum lucrum ſocietas protulerit, nihil prorſus accipiet, quia dimidia, aut tertia, aut quarta pars nihil, nihil eſt.

Hęc neceſſariò præſupponenda cenſui, quandoquidem ex iis tum vera huius elucidandæ difficultatis principia, tum inconcuſſa noſtræ ſententiæ fundamenta, tum validiſſima ad oppoſitam diruendam argumenta petantur; ſed antequam ad propoſitæ difficultatis ſolutionem

deſcen

descendam, monebo breuiter, aliquos authores excusare Ioannem ponentem pecuniam apud Petrum mercatorem eo pacto, vt integrum capitale, & aliquam lucri partem, aut aliam rem pretio æstimabilem percipiat, quia scilicet tres Contractus, nempe alterum societatis, alterum assecurationis capitalis, tertium venditionis lucri probabiliter futuri expressè, aut saltem tacitè, virtualiter, vel implicitè celebrari contendunt: Ioannes enim eo omni, quo potest, meliori titulo licitè, & honestè lucrari intendit; & hac via publicam consuetudinem, seu potius corruptelã excusant: contra quam opinionem insurgat necesse est, quisquis veritati obsequium, morum sanctitati patrociniũ, proximorum saluti vigilantiam impendere debet: præcipuè verò his calamitatis Ecclesiæ temporibus, quando grassante cupiditate, & regnante iniquitate, apud quamplurimos non amplius finis est charitas, doctrina veritas, lex Euangelium, Christus exemplum, gratia auxilium, virtus agendi principium, beatitudines patiẽdi gaudium, fructus internę pacis conuiuium, præsentissimum sacramenta remedium, æternum denique

veritatis cótemplatio,& bonitatis fruitio præmium ; maiori enim parti (quod sine lachrymis dici non potest)in his,ad quas deuenimus , sæculorum fæcibus, finis est cupiditas , doctrina falsitas , lex consuetudo , mundus exemplum , natura auxilium , ratio agendi vitium , beatitudines doloris exilium,& voluptatis fomentum; fructus verò carnis oblectamentum,pecunia paratissimum contra omnia remedium , merces denique grauissimum sine fine supplicium : Radix autem omnium malorum cupiditas, quam quidem appetentes errauerunt à fide, vt ait Apostolus; vnde non mirum si Ecclesiæ legibus parêre contemnat, quæ diuinam etiam authoritatem respuit,& fidem excludit,quæ vel ipsa naturæ iura , si fas esset, conuelleret, ac scriptas Dei digito leges ex naturæ tabulis lubens expugnaret , si tantum liceret,quantum luberet. Quid itaque mirum,si temerè violet, quæ demere vellet , delere gestiret , quæ extinguere cuperet ? Sed non impune infringet,quæ seruare contemnit. Dabit,Deo vindice , pœnas, quæ nefariè parêre recusat : contra hoc itaque Reipublicæ monstrum insurgimus ; vno quippe , vt verum fatear,

tear, veritatis amore, æquitatis ſtudio, & zelo chriſtianæ ſanctitatis commoti ad ſcribendum adducti ſumus.

CAPVT III.

Propoſitæ quæſtionis Deciſio.

HÆc quæſtio præcipuè contra tres contractus ſimul, & expreſsè cum eodem mercatore initos propoſita eſt; quia tamen hodie tanta eſt de moribus opinandi licentia, vt vnuſquiſque intempeſtiua, & præpoſtera benignitate arctam viam, quæ ducit ad cœlos contra ſententiam Chriſti dilatare, & amplificare præſumat; ideo aliqua obiter contra iſtas morum corruptelas dicere conatus ſum, vt ſupra lectorem beneuolum monui: Catholico enim Doctori contra nouas, quæ ſemper pullulant, opiniones, vigilandum eſt, ne Euangelica veritas temerè impugnetur, quæ alioqui expugnari nunquam poteſt, quandoquidem nec ipſæ portæ inferi aduersùs eam præualere poſſint; cùm itaque aliqui authores doctrinam trium contractuum expreſsè cum

eodem mercatore ſimul initorũ in vulgus ſparſiſſent ſucceſsêre alij,qui audaciores facti (& vt ipſi volunt, benigniores) dicerent, iſtós tres contractus implicitè, & virtualiter iniri cũ mercatore,quoties ei pecunia traditur cum intentione percipiendi lucrũ,quo meliori modo,& titulo percipi poteſt, & ſolet : deinde alij ad ſummam laxiùs opinandi licentiam prorumpentes, ex virtuali, & implicita trium contractuum celebratione excuſare auſi ſunt lucrum ex pecunia perceptum, ſeu quod ſupra ſortem accipitur, dummodo ab eo exigatur, qui ex data pecunia res ſuas augere, & meliores facere ſolet, ſiue ſit ille negotiator, aut mercator, ſiue negotiationem, aut mercaturam non exerceat : & quod peius eſt,eò progreſſi ſunt, vt docerent,lucrum ex pecunia abſolutè non eſſe vſurarium, aut legi naturali, & diuinæ contrarium: Immò nec ab Eccleſiaſtica, aut ciuili conſtitutione abſolutè vetitum fuiſſe;ſed tantùm ex quadam præſumptione vſurariæ prauitatis,quâ pauperes opprimi ſolebant, ita vt ceſſante præſumptione,lex etiam ceſſare debeat. Hæc eſt iſtorum Doctorum ſententia, qui præterea addiderunt,

derunt, ante Alexandrum III. sacros Canones nullatenus prohibuisse laïcis, ne quid supra sortem exigerent, aut ne lucrum ex pecunia data perciperent, neque ante Philippi Pulchri tempora per statuta regia id ipsum vetitum fuisse. Nos verò clarè demonstrabimus ex Scriptura, Conciliis, Pontificibus, & Patribus, lucrum omne ex pecuniâ, genus omne vsurarum, & quidquid supra sortem accipitur, esse contra legem naturalem, Diuinam, & Ecclesiasticam; atque ex ipsa authoritatum serie euincemus, longè ante Alexandrum III. hoc est ab initio nascentis Ecclesiæ, sacros Canones tam laïcis, quàm clericis ista omnia turpia lucra prohibuisse, & ante Philippi Pulchri tempora regiis constitutionibus cautum fuisse, ne quis ex pecuniis suis mutuo datis lucrum aliquod exigeret. Denique ostendemus, omnes istas commentitias societates cum sua duplici assecuratione capitalis, & lucri, meras esse vsurarum palliationes, siue explicitè & expressè, siue implicitè & virtualiter ineantur. Hæc necessariò te monitum volui, ne me à scopo aberrare putares, cùm multos Conciliorum Canones, multa

Pontificum decreta, multas sanctorum Patrum sententias congerere animaduerteres, quæ alioquin ad rem nostram facere non viderentur, nisi consilium meum tibi priùs aperuissem. Ad propositæ itaque quæstionis decisionem veniamus.

DICO IGITVR, NON LICERE Ioanni pecuniam apud Petrum mercatorem ponenti aliquid præter sortem principalem accipere prætextu cujuscunque societatis initæ cum duplici assecurationis capitalis, & lucri contractu, siue expressè, siue tacitè, aut virtualiter adjuncto.

PRobabitur hæc nostra positio tum authoritate, tum ratione; sed vt aliquis ordo seruetur, priùs sententiam nostram authoritate, quàm ratione muniemus: authoritatem verò desumemus ex Scriptura, Conciliis, summis Pontificibus, sanctis Patribus, iure ciuili tam Romano, quàm Gallico, Doctoribus Theologis,

Theologis, atque ex vtriusque iuris tam canonici, quàm ciuilis authoribus: deinde rationes adducemus: contraria postmodum argumenta dissoluturi.

Anteqnam tamen authoritates adducam, vnum monebo, quod notatu dignissimum censeo, & quod, ni fallor, maximam ad plenam multorum, quæ adducenda sunt, intelligentiam vim habet: nempe Scripturam sacram, Concilia, Pontifices, Patres, Imperatores, & Reges tanquam vsuram damnasse, quidquid supra sortem principalem accipitur, siue illud à pauperibus, siue à diuitibus, siue à negotiatoribus, siue ab his, qui in otio viuunt, exigatur; quantumvis dans pecuniam meliori, quo potest, titulo lucrari intendat; quoties enim alicui pecunia dabatur cum illo onere, vt sors principalis redderetur, toties mutuum iniri censuerunt, ac proinde omnem superabundantiam, vt loquitur Scriptura, tanquam vsuram damnarunt; hæc tamen intelligenda sunt, dummodo mutuans nullum inde damnum patiatur; non enim, fateor, debet ille ex mutuo damnum pati, sicut nec aliquod lucrum sperare; nam si damnum patiatur, supra sortem

ſortem accipere poteſt, quidquid ad illud reſarciendum requiritur, quod & intereſſe vocatur, quia ſcilicet mutuantis intereſt, ne damnum ex mutuo patiatur, quidquid ex mutuo præcisè ſupra ſortem exigitur, iniquum eſt, & vſura appellatur.

Quis neſciat, omnes ferè conuentiones, quas damnauit antiquitas, ex trium contractuum doctrina excuſari potuiſſe? Quis neget, auarum pecuniam ſuam mercatori committentẽ, eo omni modo, & titulo, quo licitè fieri poterat, ex data pecunia lucrari voluiſſe? Nũquid iſtos tres contractus ſaltem implicitè celebrare cenſendus non erat? Cùm tamen ſæpius diceret, quòd nunc dici conſueuit: nunquid ex meis pecuniis, ex meis frugibus alius diteſcet, & nulla in me lucri pars redundabit? Ergone pecuniæ meæ mihi ſoli ſteriles, & infœcundæ erunt, cùm ſint aliis feraciſſimæ, & fœcundiſſimæ? Iniquitatis genus eſt, omnem pecuniæ meæ, aut frugum mearum fructum ad alios peruenire; ad me autem ſolam principalem pecuniæ, aut frugum ſortem ſine vlla prorſus abundantiſſimi fructus parte redire: nunquid hæ auarorum voces

voces, quas sæpissimè apud Patres legimus, societatem implicitè, & virtualiter celebrare sonare non videntur? Licet enim de vocibus, & nominibus cum hujus temporis fœneratoribus præcisè non conuenerint, de re tamen profectò conuenisse videntur; nec multùm sanè de vocibus contendissent; libenter siquidem mutui nomen in societatis titulum permutassent, dummodo aliquid supra sortem in huius permutationis compensationem accipere licuisset: major enim illis fuit circa nummos, quàm circa nomina sollicitudo: quasi verò sola vocum mutatio antiqui contractus iniquitatem in veram æquitatem commutare possit: aut quod in re iniquum est, ex noua voce, & appellatione honestari valeat. Sanè quod aliquando ex sui natura illicitum, & injustum fuit, noua hujus sæculi subtilitas emaculare non potest: aut quod ex naturâ suâ nunc æquitatem continet, iniquum antea esse non potuit: neque profectò Patres hujus sæculi excusationes vnquam admisissent, sicut neque superiorum sæculorum excusationes legitimas esse censuerunt; cùm tamen auari, vt diuinæ legis sententiam, & Ec-

clesiæ

clesiæ censuram effugerunt, multa ad suæ cupiditatis patrocinium efferrent ad excusandas excusationes in peccatis; non enim minor fuit olim in auaris cupiditas, aut excusationum calliditas, sed fuit profectò in Doctoribus purior veritas, integrior sanctitas, firmior æquitas, & seuerior disciplina.

CAPVT IV.

Argumenta ex Scriptura sacra.

PRobatur itaque ex Scriptura, & quidem ex iis potissimùm locis, quæ maximam vim ad propositæ difficultatis decisionem habere videntur; omitto enim ea quæ contra vsurarios dicuntur, *Exod.* 22. *Leuit.* 25. *Deut.* 15. *&* 23. ne quis contendat ibi damnari vsuras, quæ ex mutuo pauperibus dato exiguntur, cum quibus profectò nonnisi palliata societas iniri potest, cùm pauperes suæ potiùs necessitati consulere, quàm augendæ rei familiari studere censeantur. Primò itaque adducam locum *ex cap.* 18. *Ezechielis*, in quo sic habetur: *Vir si iustus fuerit, &*

fecerit

fecerit iudicium, & iuſtitiam....ad vſuram non commodauerit, & amplius non acceperit....hic iuſtus eſt, vita viuet, ait Dominus Deus. Quod ſi genuerit filium latronem, effundentem ſanguinem....ad vſuram dantem, & amplius accipientem: nunquid viuet? Non viuet, cum vniuerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur, ſanguis eius in ipſo erit. Quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui, quæ facit, timuerit, & non fecerit ſimile eis....vſuram & ſuperabundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, in præceptis meis ambulauerit: hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita viuet. Et cap. 22. *Munera acceperunt apud te ad effundendum ſanguinem, vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & auarè proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus. Ecce comploſi manus meas ſuper auaritiam tuam, quam feciſti, & ſuper ſanguinem, qui effuſus eſt in medio tui.* Ex vtroque iſto loco patet, quòd omnis ſupra ſortem ſuperabundantia tanquam vſura damnetur: illud autem ſuperabundantia cenſetur, quod ſupra pecuniam datam accipitur, quantumvis triplex contractus implicitè, & virtualiter iniri fingatur; quoties

quoties enim pecunia integra ex pacto restituenda fuit, toties Scriptura, & Patres mutuum celebrari, ac proinde quidquid supra sortem accipitur, vsuram esse censuerunt. Quod ne meo iudicio dictum putes, audi Hieronymum in istum locum: *Duodecimum,* (inquit) *numerum in catologo virtutum tenet*: *Et ad vsuram non commodauerit*: siue vt septuaginta Interpretes transtulerunt: *Pecuniam suam ad vsuram non dederit*: In Hæbraïco cunctarum specierum vsura prohibetur, in Septuaginta tantùm pecuniæ, iuxta quod in quarto decimo Psalmo scriptum est: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Et quomodo dicitur: *Fratri tuo non fœneraberis, alieno autem fœneraberis*? Sed vide profectum: In principio legis à fratribus tantùm fœnus tollitur: In propheta ab omnibus vsura prohibetur, dicente Ezechiele, *Pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Porrò in Euangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino: *Fœneramini iis, à quibus non speratis recipere.* Audis-ne profectum Scripturæ, vt cum Hieronymo loquar; priùs enim tanquam carnalibus vsura ab alieno exigenda permittitur, & solùm à fratribus

tribus tollitur; in propheta verò prorsus prohibetur; Euangelium denique Christianis tanquam perfectis præcipit, vt iis mutuo dent, à quibus recipere non sperant.

Nec tantùm Scriptura ex mente Hieronymi omne lucrum ex pecunia tanquam vsurarium, & iniquum damnat, sed etiam doctrinam trium contractuum prorsus explodit, cùm omnem superabundantiam prohibet. Audi, quomodo istas societatis laruas, ista auaritiæ effugia, istas cupiditatis præstigias potiùs, quàm præsidia Hieronymus authoritate Prophetæ euertat, ac damnet; subjungit enim: *Sequitur tertio decimo loco:* Et amplius non acceperit. *Putant quidam, vsuram tantùm esse in pecunia, quod prævidens Scriptura diuina omni rei aufert superabundantiam, vt plus non recipias, quàm dedisti: solent in agris frumenti & milij, vini & olei, cæterarumque specierum vsuræ exigi, siue, vt appellat sermo diuinus,* abundantiæ, v.g. *Vt hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam, & qui iustissimum se putauerit, quartam plus accipiat portionem: & solent argumentari,*

gumentari, & dicere; Dedi vnum modium, qui ſatus fecit decem modios, nonne iuſtum eſt, vt medium modium, de meo plus accipiam; cùm ille mea liberalitate nouem & ſemis de meo habeat? Nolite errare, *inquit Apoſtolus*; Deus non irridetur: *Et paulò infrà: Alij,* inquit, *pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diuerſi generis, & non intelligunt, vſuram appellari, & ſuperabundantiam, quidquid illud eſt, ſi ab eo, quod dederint, plus acceperint.* Hæc Hieronymus. Hujus loci pars aliqua habetur 14.*q*.3. ſed integrũ ex ſuo fonte reſtitui, vt plenius mens Hieronymi appareret: cuius vim vt intelligas, obſeruo primò, hîc non agi de frugibus, aut pecunia, quæ dentur pauperibus ad ſubueniendum neceſſitati, cùm non ad comeſtionem, ſed ad ſationem, non ad ſatiandum, ſed ad ſerendum tradantur. Secundò hic non modo exceſſum culpari, quia ſcilicet media pars ſupra ſortem exigitur, ſed etiam damnari quidquid ſupra ſortem percipitur, cùm etiam eos damnet, qui tanquam iuſtiſſimi quartam ſolùm partem exigunt. Tertiò hic perſpicuam eſſe mentem dantis pecunias, aut fruges; putat enim ſe ex datis pecu-

niis,

niis, aut frugibus ſine injuſtitia lucrari poſſe, cùm iniquum non reputet partem ſaltem minorem de ſuo, vt loquitur, accipere, quandoquidem alias de ſua liberalitate nouem fructuum partes percipiat. Quartò hic etiam quandam ſocietatem prætexi, cùm dans fruges, aut pecunias aliquam fructuum partem percipere velit, eo quòd alio dante agrum, & induſtriam, ipſe det fruges ſuas ad ſerendum, quæ ex ſui natura ſemina ſunt, vimque fructiferam habent, ac proinde ex iis frugibus meliori etiam titulo, quàm ex pecuniis lucrum ſperari poſſe videatur. Quintò ſi perſpicaciter attendas, quandam etiam rationem trium Contractuum hîc intercedere deprehendes; nam ille, qui decem modios hyeme dedit, quindecim recipere æſtate intendit; & quaſi iniquum eſſet pactum, ſi tantam fructuum partem aſſecurato capitali reciperet, aliquid tanquam iuſtiſſimus, vt loquitur Hieronymus, de ſuo iure remittit, & quartam tantùm partem percipere cupit, quaſi capitalis, & incerti futuri fructus aſſecuratione hac ratione compenſaret; nec videtur etiam dominium ipſarum frugum

in

in alium tranſtuliſſe, cum dicat, nonne iuſtum eſt, vt medium modium de meo plus accipiam, cùm ille nouem & ſemis de meo habeat? Mutuum enim facit, vt id, quod datur de meo, tuum fiat; cùm tamen ille non mutuum, ſed ſocietatem inire velle videatur, licet reuera non ſocietas, ſed verum mutuum ineatur.

Et hic eſt ille caſus, quem Ludouicus Bail *in ſuo libro de triplici examine*, ab aliquo ſummo Pontifice prohiberi fatetur; cujus tamen nomen non refert, quia, vt ipſe ait, memoriâ exciderat; cum enim ſibi objeciſſet, quod ſi pecuniam apud mercatorem ponendo ex triplici contractu virtualiter, & implicitè inito lucrari liceat: ergo & dando fruges agricolæ poteſt quis ex triplici virtualiter, & implicitè celebrato contractu aliquam fructuum partem ſupra ſortem accipere: ipſe vim argumenti ſentiens vltrò ſe conſequentiæ daturum manus profitetur, niſi lex Eccleſiaſtica lucrum iſtud ex frugibus prohibuiſſet; omnimodam enim admittit inter vtrumque caſum paritatem, & neutrum iure naturali, aut diuino prohiberi contendit. Sed audiat Hieronymum contractum iſtum tanquam lege

lege diuina prohibitum longè ante damnantem; nullam quippe in eo societatem, sed merum mutuum agnoscit, quamvis dans fruges aliquam societatis speciem inducere videatur; ac proinde quidquid supra integram sortem accipitur, vsuram esse censet: vnde idem Hieronymus citat verba Apostoli: *Nolite errare,* fratres, *Deus non irridetur.* Audis, ad quem legislatorem Hieronymus se remittat, *Deus,* inquit, *non irridetur*: Et paulò superius dixerat: *Putant quidam, vsuram tantùm esse in pecunia, quod prauidens Scriptura, omni rei aufert superabundantiam, vt plus non recipias quàm dedisti.* Hoc itaque Deus prohibuit, non homo, qui proinde istis cauillis, & mentis humanæ præstigiis non est irridendus: hoc Scriptura præuidens, omnem superabundantiam vetuit, non itaque primò Ecclesia, sed priùs Scriptura prohibuit: quid magis appositũ ab Hieronymo ad rem nostram dici poterat? *Deus,* inquit Apostolus, *non irridetur*: ergo irridetur, dũ variis istis subtilitatibus veritatis simplicitas obscuratur, & violatur. Deus, qui condemnat, quis qui iustificet, nisi aliquis ignorans iustitiam Dei, & suam

quærens

quærens ſtatuere, iuſtitiæ Dei nolit eſſe ſubjectus? Prudentiùs profectò ageret, quiſquis ille eſt, ſi cum Auguſtino *in enarratione in Pſalm.*36. diceret: *Nolo, ſitis fœneratores, & ideo nolo, quia Deus non vult; nam ſi ego nolo, & Deus vult, agite: ſi autem Deus non vult, etiamſi ego vellem, malo ſuo ageret, qui ageret.*

Probatur etiam ex illo loco Pſal. 14. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* In quem locum Hieronymus ait: *Primò dicendum eſt iuxta litteram, quòd lex indigenis tantum, & ciuibus prohibuerit fœnus imponi, & alienigenis iuſſerit fœnerari; Dauid verò Euangelicum deſcribens virum, & eum, qui habitaturus ſit in monte ſancto Dei, hoc eſt in Eccleſia Dei, in cunctos generaliter fieri vetarit.* Hunc locum etiam Caſſiodorus exponens ait: *Duobus modis in Scripturis ſanctis pecunia probatur intelligi: vna eſt illa metallica, quæ ad vſuram dari omninò prohibetur, quoniam vitium cupiditatis eſt exigere velle, quod te neſcias commodaſſe.* Vides hic abſolutè, & generaliter prohiberi, ne pecunia detur ad vſuram. Ex hoc etiam loco trium contractuum doctrina validè confutatur, Nunquid enim, amabo,

amabo, pecunia ad vſuram datur, cum mercatori tota reſtituenda cum aliqua ſuperabundantia committitur?Quid eſt enim vſura, quæ ab vſu æris dicta eſt, vt vult Iſid. *lib.* 5. *originum*, quàm pretium hujus rei, quæ vſum non habet? Vſurarius tamen fingit vſum, vbi non eſt vſus. Quid eſt vſura niſi pecuniæ fœtura?Ideo enim vſuram lex diuina prohibuit, quia, vt ait Philo Iudæus in lib. de charitate: *Iniquum duxit fœnus à pecuniis, tanquam fœturam à pecoribus colligere.* Quid eſt fœnus niſi pecuniæ fœtus; ideo enim græcè τόκος appellatur, quaſi partus, quia, vt ait Ariſtoteles lib. 1. polit. c. 10. *Fœnus ſeipſum magis facit*: Vnde & nomen venit, quoniam illa, quæ pariuntur, ſimilia ſunt gignentibus; in fœnore autem nummus nummum parit. Vnde optima ratione, vt *ibidem* Philoſophus ait, omnibus in odio eſt ratio fœneratrix, quod ab ipſo nummo quæſtus fiat, & non ad quam rem paratus eſt, vſurpent; permutationis enim gratiâ natus eſt: & paulò infra: Quapropter maximè præter naturam eſt hic acquirendi modus. Cùm itaque integra pecunia apud mercatorem poſita tibi ex

pacto

pacto aſſecurata ſit, ſi nullam induſtriam, nullas expenſas, aut operas conferas, ſi nullum periculum, nullum onus, nullum damnum ſuſcipias, vnde tibi, quæſo, fructus iſte prouenire poteſt, niſi ex pecunia? Cùm enim omnes honeſtos lucrandi titulos pactis interuenientibus peruertas, nullus profectò ſupereſt, ex quo licitè lucrari poſſis; ac proinde non tibi ſocietas, ſed pecunia, quantumvis ex ſe infœcunda, fructificat, & nummus contra naturam nummum parit: nec ſanè excuſabit locorum conſuetudo, aut publicus horum contractuum vſus, quem potiùs abuſum meritò quis appellauerit; vt enim ait Auguſt. in illum locum Pſal. *Non defecit de plateis eius vſura, & dolus: Vſura, & dolus non abſconduntur ſaltem, quia mala ſunt, ſed publicè ſæuiunt; etenim qui domi aliquid mali facit, de malo ſuo erubeſcit:* Et poſtea ſubjungit: *Fœnus profeſſionem habet, fœnus etiam ars vocatur, vſque adeo in platea eſt, quod ſaltem abſcondendum erat.* Profectò declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem; nam vanæ iſtæ excuſationes potiùs accuſent, quàm excuſent, potiùs condemnent, quàm abſoluant.

Plura

Plura alia Scripturæ loca breuitatis causâ missa facio, vt celeberrimum illum locum Euangelicum, qui habetur, *Lucæ 6.* contra omnes nostros aduersarios vltimò expendam: *Mutuum date*, ait Christus, *nihil inde sperantes*: quanta est huius sententiæ maiestas, quę inflectat ad obsequium, tanta est profunditas, quæ minetur naufragium. Volunt alij in ea contineri præceptum, contendunt alij in ea solùm proponi christianæ perfectionis consilium; tantùm autem distat inter præceptum, & consilium, quantùm inter necessitatem, & voluntatem; præceptum enim necessitatis est; consilium verò voluntatis: qui non implet præceptum, damnatur ad supplicium: qui omittit consilium, non inuitatur ad præmium. Ne itaque cótra sententiam Christi aut soluamus præceptũm, si illud in consilium resoluamus, aut opprimamus proximum, si adstringamus ad consilium, in ista Euangelica sententia & præceptum, & consilium latêre demõstrabimus, ne habeat in nobis Christus quod condemnet, si soluerimus præceptum, & docuerimus sic homines; nec quod nobis exprobret, si imposuerimus onera im-

portabilia proximo. Eſt itaque conſilium, ſi mutuum dederis extra neceſſitatis articulum, nihil inde, nequidem ipſam ſortem ſperaueris: Eſt præceptum, ſi mutuum dederis ſiue in neceſſitate, ſiue extra neceſſitatem, ne aliquid inde ſupra ſortem expectes: ſortem itaque mutuum dando non ſperare voluntatis eſt, nihil ſupra ſortem neceſſitatis; ad primum inuitaris, ad ſecundum cogeris: In primo caſu habes chriſtianæ perfectionis ſummam, in ſecundo communem iuſtitiæ regulam: ad primum impellit charitas, ad ſecundum aſtringit æquitas: qui exigit ſortem, non incurrit mortem, qui ſupra ſortem exigit pecuniæ lucrum, non effugiet diaboli laqueum; *qui* enim *volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.* Nec hæc ego ex meo marte fingo, audi Ambroſium Epiſt. 24. ad Vigilium: *Lex dicit, Non dabis pecuniam tuam ad vſuram, quoniam ſcriptum eſt, quòd is, qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, habitabit in tabernaculo Dei; nam ille eſt ſupplantator qui vſurarum captat emolumenta: Itaque vir Christianus ſi habet, det pecuniam quaſi recepturus: habet in ea non mediocrem vſuram gratiæ: alioquin deci-*

pere

pere istud est , non subuenire. Habemus itaque in isto loco, vnde omne lucrum ex pecunia condemnemus: habemus & vnde trium contractuum doctrinam expugnemus; ex hoc enim textu omnis vsuraria prauitas generaliter, & absolutè reprehenditur, & prohibetur. Ex eodem textu omnis fucata, & laruata societas, quæ perperã nobis ab aduersariis obtruditur, cum duplici suo assecurationis contractu profligatur, & extra omnem securitatem ponitur: vt pateat autem, quòd ex isto loco omne lucrum ex pecunia, omnis vsura, & superabundantia condemnetur, consule Basil. *in psalmum* 14. Ambr. *in cap.*15. *libri de Tobia*, Hieronym. *in caput* 18. *Ezech.* & ferè omnes Patres, qui contra auaros, & fœneratores scripserunt. Consule Conc. Carthaginense I. *Can.* 13. Conc. Paris. VI. *can.*53. Lateranense sub Innocentio II. *can.* 13. Lateranense alterum sub Alexandro III. *can.*25. Conuentum Melodun. *cap. de vsuris*, Conc. Mediolanense I. *cap. de vsuris*. Et Conc. Burdegalense coactum anno 1583. Consule *caput super eo, extra de vsuris*, & *caput consulit, eodem titulo*: in his enim

omnibus locis vſura abſolutè prohibetur per authoritatem iſtius textus, quem 6. Lucæ citaui. Et reuerâ niſi prolixitatem timerem, ipſiſſima verba proferrem, vt eorum temeritatem coërcerem, qui audent dicere, & docere, hoc loco non cõtineri præceptum, nec vſuras prohiberi, ſed merum conſilium proponi. Iam verò quod trium contractuum doctrina ex iſto loco penitus euertatur, patet, ex eo quod ſi ex mutuo nihil ſperandum ſit: ergo nihil etiam à mercatore ſupra ſortem aſſecuratam exigendum erit; cum enim totum periculum, totum onus in mercatorem reiiciatur, & refundatur, ille proculdubio pecuniæ traditæ dominus cenſeri debet, cui periclitatur, & periit: Res ſiquidem domino ſuo ſtat, aut cadit, maximè cùm mercator pecuniam acceptam ad libitum ſiue intra, ſiue extra negotiationem inſumere poſſit: cùm itaq; mutuum ſit, quod à me ita tibi datur, vt fiat ex meo tuum, profectò in iſtis tribus contractibus non ſocietatem, ſed verum mutuum inſtitui dicendum eſt, ac proinde quicquid ſupra pecuniam datam exigitur, aut ſperatur ex hoc loco, iniquum iudicandum erit.

CAP

CAPVT V.

Argumenta ex Conciliis.

PRobatur ex Conciliis, obſeruando obter, antiqua Concilia præcipuè in hoc incubuiſſe, ac deſudaſſe, vt Clericos ab auaritiæ labe cohiberent, quia leges laïcis vſuras permittebant, vnde ait Auguſt. ad Macedonium Epiſt. 54. *Quid dicam de vſuris, quas etiam ipſæ leges, & Iudices reddi iubent? An crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore?* Inde eſt, quod ſeuerior fuerit prioribus ſæculis contra clericos Eccleſiæ cenſura, quàm contra laïcos, cùm Conſtãtinus ſeſqui alterarum vſurarum genus in frugibus humidis, vel arentibus lege permiſiſſet, quæ habetur in Codice Theodoſiano *lib. 2. tit. vltimo de vſuris*; ideo ſancti Patres omnes prorſus pecuniarias vſuras prohibentes, ſeſcuplam frugum expreſsè interdicere curauerunt, vt patet ex multis Conciliis. Poſtea verò tam à Conciliis, quàm à ſummis Pontificibus genus omne vſurarum

tanquam Iuri naturali,ac diuino contra-riũ,tam Clericis, quàm laïcis fuit inter-dictum:quidquid tamen antiquitus Con-cilia clericis circa vſuras prohibuerunt, de laïcis etiam proculdubio intelligi de-bet, cùm tam laïci, quàm clerici iuri naturali,& diuino æqualiter ſubiiciũtur, maximè cùm antiqua etiam Concilia omnem rationem vſurarum tam lai-cis, quàm Clericis prohibuerint. Nec vſpiam me legiſſe memini,ſanctosPatres, & Concilia aliquod diſcrimen inſtituiſſe inter illos, qui à pauperibus, & inter illos,qui à diuitibus,aut negotiatoribus vſuras exigebant, vt id, quod ſupra ſor-tem accipitur, excuſarent ab vſura, & honeſtum lucrum eſſe cenſerent,licet non diffitear, eos præcipuè in fœneratores, qui pauperes vſuris opprimebant, zelum omnem orationis,& cenſuræ accendiſſe, & conuertiſſe. Quæ omnia ex infra di-cendis clariſſimè cuique patebunt.

Multos igitur Conciliorum canones, multa ſummorum Pontificum decreta, multas ſanctorum Patrum ſententias in hunc finem congeremus, vt cognoſcant omnes, quàm longè à veritate aberrent, qui dicunt, lucrum ex pecunia, & quid-quid

quid ſupra ſortem exigitur, non eſſe vſurarium, aut lege diuina, & Eccleſiaſtica vetitum, niſi à pauperibus extorqueatur, aut ab iis, qui vitam, & ſtatum ſuſtinere tenentur, neque ante Alexandrum III. id ipſum ab Eccleſia prohibitum fuiſſe; ſed neque poſt Alexandrum III. niſi ex aliqua præſumptione cõtra crudeliſſimos fœneratores, & pauperum depopulatores damnatum, aut vetitum eſſe.

At ne in infinitum tractatio iſta excreſcat, omittam Canonem 43. Apoſtolorum, canonem 12. Concilij Arelatenſis I. can. 5. Laodiceni, can. 27. Conc. Aurelianenſis III. can. 32. Conc. Remenſis II. can. 53. vltimum Pictauienſis Concilij tempore Paſchalis II. Concilium Londinenſe ſub Honorio II. in quibus locis Presbyter, Diaconus, aut alius clericorum vſuras accipiens deponitur, & excommunicatur, cùm iuxta formam diuinitus datam, vt ait Conc. Arelatenſe I. *can.* 412. fœnus omne veſtitum ſit. Proponam tantùm authoritatem eorum Conciliorum, quæ maximè ad rem noſtram facere videntur tum quia omne genus vſurarum tam laïcis, quàm clericis interdicunt ſine vllo diſcrimine eorum,

quibus pecunia traditur, cuiuſcunque ſtatus, aut conditionis cenſeantur, ſiue pauperes, ſiue diuites, ſiue negotiationes exerceant, quales ſunt mercatores: aut ſiue artifices extra omnem negotiationẽ viuant, quales ſunt nobiles, & ii, qui in Republica magis in otio, quàm in negotio verſantur. Tum quia præſentem difficultatem de tribus contractibus, ad cuius explicationem hoc opus præcipuè ſuſcepimus, tractant.

Concilium Nicænum I. œcumenicum tanta religione ab omnibus fidelibus ſuſceptum, quod ab Athanaſ. *Epiſt. ad Epiſc. Afric.* à Cyril. *lib.* 1. *de Trin.* à S. Leone *Epiſt.* 53. *ad Anatolium*, diuinum verbum, & ſanctiſſimum Spiritus ſancti oraculum appellatur; quod Gregorius magnus cum tribus ſequentibus œcumenicis non minùs, quàm quatuor Euangelia ſe venerari profitetur, à quo nec mors, nec gladius Ambroſium ſeparare poterat, vt ipſemet ait *Epiſt.* 32. quo tanquam ſymbolo, & teſſera Catholici ab hæreticis diſcernuntur, vt ait Baſilius *Epiſt.* 78. cuius decreta ad Cœleſtia mãdata ſunt, vt voluit Auguſtinus: in hoc igitur Concilio *can.* 17. omne ſupra ſortem pecuniæ

datæ

datæ lucrum tanquam vſurarium,& lege diuina prohibitum pronuntiatur, & triũ contractuum ſiue implicitè,ſiue explicitè initorum doctrina damnatur ; ſic enim habet can. 17. *Quoniam multi ſub regula conſtituti auaritiam , & turpia lucra ſectantur,oblitique diuinæ Scripturæ dicentis,* qui pecuniam ſuam nõ dedit ad vſuram : *mutuum dantes centeſimas exigunt.* Iuſtè cenſuit ſancta , & magna Synodus , vt : *Si quis inuentus fuerit poſt hanc definitionem vſuras accipiens , aut ex adinuentione aliqua, vel quolibet modo negotium tranſigens,hemiolia , id eſt , ſeſcupla exigens , vel aliquid tale prorſus excogitans turpis lucri gratiâ , deijciatur à Clero,& alienus exiſtat à regula.*

Circa iſtum canonem obſeruandum primò eſt, omnem vſuram eſſe contra legem diuinam , vt clarè hic dicitur , ac proinde omnibus tam clericis,quàm laïcis prohibitam , licet Concilium cenſuram potiùs clericis , quàm laïcis infligat. Secundò canonem iſtum reſpicere , vt omnes homines docti ſentiunt,ad leges ciuiles , quæ vſuras tam in pecuniâ, quàm in frugibus permittebant;quis autem neſciat,in Imperio Romano vſuras

tam à diuitibus, quam à pauperibus, tam à mercatoribus, quàm ab iis, qui ab omni negotiatione abstinebant, exigi solitas fuisse, ac proinde non eas tantum, quibus pauperes opprimebantur, sed etiam quæ à diuitibus, & mercatoribus accipiebantur, in hoc Concilio prohibitas esse tanquam Iuri diuino contrarias, certissimum est? Tertiò in hac prohibitione nõ tantùm agi de immoderato lucro supra sorté, aut de vsuris, quæ in frugibus admittebantur; licet enim centesimas vsuras in pecuniis, & sescupla in frugibus Canon coërceat; genus tamen omne vsurarum etiam damnat, quia scilicet contrarium est Iuri diuino; ait namque Concilium: *Quoniam auaritiam, & turpia lucra sectantes obliti sunt diuinæ Scripturæ dicentis*, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Et in alia versione post ista verba sic habetur: *Si quis inuentus fuerit post hanc definitionem vsuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam species frumẽtorum ad sescuplum dare*, &c. Vbi vides in primis verbis omnes vsuras, aut turpia lucra ex quolibet tali negotio conquisita vetari; in vltimis autem prohiberi, ne species frumentorum ad sescuplum

cuplum dentur. Et si consulamus collectionem Orientalium canonum à Sancto Martino Bracarensi factam, & ad Synodum Lucensem missam circa annum 572. sententiam istius canonis clarè percipiemus; in canone enim 62. sic habetur: *Si quis oblitus timorem Domini, & sanctam Scripturam, quæ dicit, pecuniam suã non dedit ad vsurã, post hanc cognitionem magni Concilij fœnerauerit, & centesimas exegerit, aut ex quolibet negotio turpe lucrum qu sierit, aut per diuersas species vini, vel frugis, vel cuiuslibet rei emendo, vel vendendo aliqua incrementa susceperit, depositus de gradu suo alienus habeatur.* Sed ne aliqua circa istum canonem tergiuersandi occasio relinquatur, audiamus canonem 51. Concilij Meldensis circa annum 845. celebrati, in quo hæc habentur: *Vt Episcopi seipsos, atque ministros suos, & maximè Ecclesiasticos, cunctosq; Christianos in sua Parochia perpendentes ex hoc statuta Nicæni Concilij, & cæterorum Conciliorum, ab vsuris sine excusatione compescant, & quos cõpescere aliter non potuerint, canonicam in eos sententiam proferant.* Audisne ex sententia Concilij Nicæni, &

& aliorum Conciliorum tam laïcos, quàm Clericos per cenſuram ab omnibus vſuris compeſcendos, nullamque excuſationem admittendam eſſe?

Dices, forſan hîc damnari lucrum ex mutuo, non verò ex ſocietate explicitè, aut implicitè cum duobus contractibus aſſecurationis capitalis, & lucri celebrata.

Reſpondeo primò, hîc damnari lucrum ex mutuo, quod tam à diuitibus, aut mercatoribus, quàm à pauperibus, aut aliis, qui negotiationi non vacant, ſupra ſortē exigitur, & accipitur; aliqui autem ex aduerſariis cū diuitibus, & mercatoribus implicitam ſocietatem cum duplici illo aſſecurationis contractu ſemper iniri volunt, vt lucrum iſtud à crimine vſurarum excuſent: Concilium tamen Nicænum omne tale lucrum turpe eſſe declarat, & contra Ius diuinum, & Concilium Meldenſe monet Epiſcopos, vt omnes tam laicos, quàm clericos ſine vlla excuſatione ab vſuris compeſcant.

Reſpondeo ſecundò, ex ipſis verbis Concilij clarè colligi poſſe, omnes iſtas fucatas, laruatas, & commentitias ſocietates iniquas eſſe, & tanquam vſurarū palliationes reijciēdas: *Si quis* (habet canon) *inuentus*

inuentus fuerit post hanc definitionem vsuras accipiens, aut ex adinuentione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, &c. Ex quibus verbis patet, omne prorsus fucatum, & ementitum pactum, aut, vt cum Concilio loquar, omnem adinuentionem, planè reprehendi, & reprobari; quod etiam obseruat Glossà in hunc canonem *dist.* 47. *in notula* transigens: *Hîc damnatur*, ait, *quodcunque nouum pactum, vel contractum iniens in fraudem vsurarum.* Sed vt perpicuum fiat, quantam vim aduersarij diuinæ legi, & Concilio Nicæno faciant, vt mutuum sub honesto societatis palliò occultent. Audi Zonarã in istum canonem, ait enim: *Fœneratorij nominis infamiam quidam declinantes, pecuniam ita dant mutuam, vt sibi lucri partem paciscantur, nec se fœneratores, sed socios dicunt, ac emolumentorum tantummodo participes, nullũ interea iacturæ periculum subeant.* Hæc igitur omnia canon vetat: hæc ex Zonara adduxi, vt pateat, Græcos homines nostræ etiam sententiæ astipulari; adducam præterea testimonium Theodori Balsamonis, qui in canonem 17. Nicænæ Synodi sic ait: *Quidam canonem intelligentes, & ei fraudem facientes,* verba

verba quidem ſeruant; mentem autem negligunt: Dant enim pecuniam nonnullis, & tantum ex lucro partem ſe capturos paciſcuntur; periculum autem agnituros, qui eam accipiunt, & cùm ſint reuera fœneratores, verbo tamen ſocietatẽ prætexunt. Nunquid iſti authores Græci quorundam Latinorum mentem, & animum graphicè depingere tibi non videntur, qui vt ex mutuo lucrum iuſtè percipi poſſe perſuadeãt, inane ſocietatis ſimulacrum nobis obiiciunt, vt ſic ſimplicioribus fuca faciant, cùm interim ſub falſa ſocietate vera lateat vſura, cuius hæc propria interpretatio eſt, vt Leo X. *in Conc. Lateranenſi, ſeſſ.* 10. ſubindicat, quando videlicet ex vſu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo ſumptu, nullove periculo lucrum, fœtuſque conquiri ſtudetur.

Probatur ſecundò ex Concilio Arelatenſi I. circa annum 314. celebrato, *canone* 12. in quo ſic legitur: *De miniſtris, qui fœnerantur, placuit eos iuxta formam diuinitus datam à communione abſtinere.* Et ex Conc. Arelat. II. ſub Sirico Papa, vt volunt viri docti *can.* 14. qui eſt hujuſmodi: *Si quis Clericus pecuniam dederit ad vſuram, aut conductor alienæ rei voluerit*

lucrit esse, aut turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exercuerit, depositus à clero à communione alienus habeatur. Hic duo obseruo: Primò quidem lucrum ex pecunia esse vsuram, & contra legem diuinam exigi. Secundò clericos ab omni turpi lucro, & negotiatione per censuram cohiberi, vt pateat, quàm periculosè nunc Clerici, Monachi, & Moniales suas pecunias mercatoribus committant: aut enim fœnerantur, vt ego sentio, aut saltem negotiantur, cùm se socios mercatorum profiteantur; vtrumque autem Clericis, Monachis, & Monialibus prohibetur. Primùm quidem lege naturali, diuina, & Ecclesiastica. Secundum verò sub grauissima censura per innumeros Conciliorum canones. Primum caput tam laïcos, quàm Clericos, Monachos, & Moniales respicit, cùm omnes legi naturæ, & iuri diuino subjiciantur; secundum verò, cùm ad disciplinam pertineat, solos Clericos, Monachos, & Moniales obligat; quod ideo obseruare volui, vt hi ab omni genere vsurarum sese coërceant. Sed hæc melius ex frequentibus canonibus patebunt.

Probatur

Probatur tertiò ex Concilio Carthag. I. circa annum 348. *can.*13. vbi ſic habetur : *Abundantius Epiſcopus Adrumetinus dixit : in noſtro Concilio ſtatutum eſt, vt non liceat clericis fœnerari : quod ſi & Sanctitati tuæ, & huic Concilio videatur, præſenti placito deſignetur. Gratus Epiſcopus dixit : Nouellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcuræ ſunt, vel ſub genere latent, inſpectæ à nobis formam accipient. Cæterùm de quibus apertiſſimè diuina Scriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potiùs exequenda : proinde quod in laïcis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari. Vniuerſi dixêre : Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelia facit ſine periculo.* Hîc profectò tam laïcis, quàm Clericis abſolutè pecuniam dare ad vſuram interdicitur, quia, vt ait Concilium, *circa hoc apertiſſimè diuina ſcriptura ſanxit.* Vnde qui lucrum ex pecunia quærit, contra Prophetas, & contra Euangelia facit. Et ex Conc. Carthagin. I I. quod in ordine Conciliorum I I I. inſcribitur, aut reuera ſit I I. ſub Siricio Papa circa annum 397. coactum : in quo ſic legitur can.16. *Vt nullus Clericorum amplius recipiat*

cipiat

cipiat quàm cuiquam accommodauerit : Si pecuniam, pecuniam accipiat, speciem eandem, quantam dederit, accipiat , & quidquid aliud tantum quantum dederit , accipiat. Nonne hic reprehenditur quidquid supra sortem accipitur, à quocumque recipiatur ? Legisne à quocumque paupere recipiatur ; an absolutè à quocumque recipiatur? Cur itaque hanc vanam distinctionem finges, quæ in tota antiquitate ignota fuit , vt patebit ex tota serie canonum , quos ideo huc de industria ad longum retuli , vt pateat , quàm falso fundamento aduersarij nitantur. Tantum enim abest , vt Concilia aliquod lucrum supra sortem permittant, vt etiam prohibeant, ne alia species, aut quantitas, quam ea, quæ data fuit , exigatur. Conc. Carth. IV. circa annum 424. *can.*67. vetat , ne quis vsurarios ad ordines promoueat. Hi canones Carthaginenses sæpissimè repetuntur in Conciliis antiquis Galliæ, vt cuilibet videre licet in tomis Conciliorum.

Ex Conc. Turonensi I. anno 482. sub Simplicio Pontifice *can.*13. in quo sic legitur: *Illud etiam secundùm Scripturarum authoritatem , vel Patrum constitutionem*

addendum

addendum credidimus, ne quis clericus, qui negotiandi studium habere voluerit, vsuras accipiat ; quia scriptum est, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. *Et alio loco*, & non defecit de plateis eius vsura, & dolus. *Manifestũ est enim, beatitudinis non posse assequi gloriã, qui à præceptis diuinis deuiauerit: Et humilitatis nostræ cõstitutio, vt adiuuante Domini misericordia, valeat custodiri, sancti, ac Beatissimi sacerdotis Domini Martini, quæ Deo accepta est, obtinebit intercessio. Confidimus enim, sacerdotum Domini consensu definitionem nostram firmandam, quæ cùm Patrum nostrorum authoritate concordat*. Audis hic iuxta authoritatem Scripturæ, & Patrum vsuram omnem prohiberi, à quocunque exigatur.

Ex Conc. Agathensi anno 506. *can.* 8. vt ex Gratiano refertur : *Vsura est, vbi amplius requiritur, quàm datur. V. G. si dederis solidos decem, & amplius quæsieris ; vel dederis frumenti modium vnum, & super aliquid exegeris*. Habes hic regulam ad omnes fideles sese extendentem, & omnes vsuras tam in pecunia, quàm in aliis rebus, quæ mutuo dari possunt, definientem, & prohibentem. Idem habet

bet Concilium Aurelianense III. *canon.27.*

Ex Capitulari Aquisgranensi sub Carolo magno anno 789. *cap.5*.vbi legitur: *Item ex eodem Concilio, seu in decretis Leonis Papæ, necnon & in canonibus, qui dicuntur Apostolorum, sicut & in lege ipse Dominus præcepit, omnino omnibus interdictum est ad vsuram aliquid dare.* Sequitur post hæ verba canon 17. Conc. Nicæni, & canon 43. Apostolorum, vt ex hac authoritate habere possis verum canonis Nicæni, seu propositi sensum, vnanimemque totius antiquitatis consensum, quo post legem Domini omnino omnibus interdictum est ad vsuram aliquid dare, vt hîc dicitur: non itaque hæc diuina lex solos pauperes respicit; sed omnes complectitur, personarum, & statuum, aut negotiorum differentias non nouit, cùm omnes ei subiiciantur, simul in vnum diues & pauper: & omnino, hoc est, omnibus modis, aliquid dare ad vsuram interdicatur. Postea cap.39. adducitur canon 16. Conc. Carthag.II. quem ad omnes fideles extendit his verbis: *Qui commodauerit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem aliam, eandem*

dem ſpeciem, quam dederit, accipiat. In eundē ſcopum Concilium Aquiſgranenſe celebratum anno Domini 816. ſub Ludouico Pio canonem Nicænum adducit *cap.*40. & *cap.*62. authoritatem ſancti Leonis Papæ *Epiſt.*1. vt oſtendam, quòd non ſolum Clerici, ſed etiam laïci Chriſtiani vſuram exigere non debent, vt patet ex ipſo titulo. Et paulo ante ſcilicet anno Domini 813. Conc. Cabilonenſe II. *can.* 5. ſic monuerat Epiſcopos: *Iuxta Apoſtoli vocem ſacerdotes irreprehenſibiles ſint, & moribus ornati: & nequaquam turpibus lucris deſeruiant, iuxta illud, quod ait Scriptura:* Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit. *Et à turpibus lucris, & vſuris non ſolum ipſi abſtineant, verum etiam plebes ſibi ſubditas abſtinere inſtituant.*

Ex Conc. Pariſienſi VI. anno Christi 829 ſub Ludouico Pio *can.*53. cujus titulus eſt, *de multimodis vſurarum adinuentionibus.* Hunc canonem planè aureum totum huc tranſcribere curaſſem, niſi me prolixitas deterruiſſet; eſt enim admodum diffuſus: Aliqna tamen hic proponam, quæ ſententiam noſtram maximè

ximè confirment; sed obseruandum est, quòd quamvis omnis vsura omnïbus, & erga omnes absolutè hîc prohibeatur; fœneratorum tamen auaritiam erga pauperes canon iste præcipuè reprehendat, vt inde majori odio dignum esse conuincat, quam tanta crudelitate, quanta iniquitate plenam demonstrauerit. Sic itaque canon incipit: *Cùm multa, & innumera sint mala, quibus & Deus offenditur, & regnum Christianorum periclitatur, extat inter cætera vnum quoddam valdè execrabile, Deoque detestabile auaritiæ genus, quo indubitanter & Deus ad iracundiam prouocatur, quia eo præceptis eius reluctatur, & miseriæ humanæ præcepta diuina transgredienti augmenta damnationis præparantur; eo quod scilicet quidam clericorum, & laïcorum obliti præceptionis, quæ dicitur*: Pecuniam tuam non dabis ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges: Ego Dominus Deus vester: *in tantam turpissimi lucri rabiem exarserint, vt multiplicibus, atque innumeris vsurarum generibus sua adinuentione, & cupiditate repertis pauperes Christi affligant.* Et paulò infrà: *Famis tempore cùm quispiam pauper omnium rerum penuria*

nuria attenuatus ad aliquem fœneratorem venit, vtpote frater ad fratrem, quos constat vno pretioso Christi sanguine redemptos, petens ab eo suas miserabiles necessitates subleuari, sibique id, quo indiget commodari; taliter ab eo sibi solet responderi: non est mihi frumentum, aut aliud quid, quod in cibum tibi sumere vis ad mutuandum, sed magis ad vendendum: si vis emere, fer pretium, & tolle. Cui pauper, non est mihi, inquit, quidquam pretij, quo emere id, quo indigeo, valeam; sed peto à te, vt miserearis mei, & quomodocunque vis, mihi, quod peto, ne fame peream, mutuum porrige. Fœnerator è contra: quot modo denariis possum modium frumenti mei vendere, aut tot denarios tempore fructus noui mihi redde, aut certè eorum pretium in frumento, & vino, & cæteris quibuslibet aliis frugibus ad plenum supple. Vnde euenire solet, vt pro vno frumenti modio taliter mutuato tres, aut certè quatuor modij à pauperibus tempore messis violenter exigentur, quod & de modio vini similiter fieri solet. Sunt etiam alij crudelissimi fœneratores, qui tempore necessitatis nihil commodare pauperibus volunt nisi messellas suas, & vineolas, & pratella ex ratione in pignus

gnus dederint, vt quidquid frugum in hisce colligi poterat, pro paruo, quod mutuum acceperunt, ex asse amittant: quæ res non minimam pauperibus generat afflictionem, & penuriam. Sunt & aliæ multifariæ calliditates quorundam fœneratorum, quibus pauperes exhauriuntur, & paupertati addicuntur, quas hic enumerare magni est tædij, magnæque prolixitatis. Dominus quippe & in legalibus, & in propheticis oraculis vsuram fieri minaciter, atque terribiliter inhibet; & præsumptio humana à summo creatore prohibita superbiendo perpetrare ad sui discrimen non metuit. Addit postea Scripturæ loca, & Patrum authoritates, quibus tam à pauperibus, quàm à diuitibus vsuras exigere prohibetur: præcipuè verò si attendas tum ad caput 18.& 22. Ezechielis, & ad authoritatem Hieronymi in hunc locum: tum ad locum Psalmi 14. cum expositione sancti Hieronymi, & Cassiadori, quæ omnia hîc integrè referuntur, & nos supra retulimus: & ideo illa non iterabimus. Deniq; post multa concluditur canon his verbis: *De vsuris porrò non faciendis, & de misericordiâ fratribus impēdendâ copiosiora*
vtriusque

vtriusque instrumenti documenta, & sanctorum Patrum eximia dicta, quæ sectatores vsurarum non victuros, neque in monte sancto habitaturos; sed potius quia immisericordes extiterint, cum purpurato, & auaro diuite pœnas affirmant luituros. Vtrumque itaque vitium canon reprehendit, omnem scilicet vsuram, & immisericordiam; vsuram quidem erga omnes, & immisericordiam erga pauperes: & quod in primis notandum est, duas species vsurarum erga pauperes detestatur, & damnat; quas tamen frequentissimas in istis regionibus esse scio, annuentibus etiam, quod sine lachrymis dici non potest, quibusdam viris Theologis.

Ex Conc. Regiaticino, vel, vt alij volunt, Ticinensi sub Lothario circa annum 850. can.21. vbi sic habetur: *Quia terribiliter propheticus sermo minatur ad vsuram dantem, & amplius accipientem, in æternum non esse victurum, & non habitaturum in tabernaculo altissimi, nec requieturum in monte sancto Dei: Censemus, vt quique hoc perpetrasse inueniuntur, si supersunt, à quibus vsuras exegerunt, ipsis restituant, quæ superabundantius abstulisse probatur*

probantur. Si autem decesserint, hæredibus eorum saltem medietatem refundant, aut eleëmosynis redimant, quod cupiditate deliquerunt. Deinceps verò qui hæc sectari inuentus fuerit, si laïcus est, excommunicetur; sacerdos autem, & clericus si ad Episcopi admonitionem ab hoc turpi, & pestifero negotio se non cohibuerit, proprij gradus periculum sustinebit. Eadem habet Conc. III. Valentinum *can.* 10. & Rhemense sub Leone IX. in quo summus Pontifex collapsam morum disciplinam restituit, & multos antiquos canones sub anathemate renouauit, inter quos est iste: *Ne quis clericus, vel laïcus vsuras exerceat.* Huc referri potest constitutio Riculfi Suessionensis Episcopi edita circa annum 889. vt appareat, quænam esset mens, & sententia Ecclesiæ illis temporibus; dicitur enim cap. 17. *Illud quoque admonendum censemus, vt ab vsuris omnes se subtrahant; si enim iuxta præceptum Domini amicos in Deo & inimicos diligere debemus propter Deum, & eis nostra bona, quæ ipse nobis immeritis contulit, gratis largiri, qua ratione possumus ab eis, qui nostri in Christo sunt fratres, vt idem ait,* Vnus est enim pater

 vester:

veſter : omnes autem vos fratres eſtis, *exigere, quæ non accommodauimus, & repetere, quæ non præſtitimus : vnuſquiſque igitur quantum præſtiterit, tantum recipiat, & eandem ſpeciem, & menſuram annonæ, aut vini, aut argenti, aut certè alicujus pretij conualentis, provt inter eos conuenerit ; ita tamen vt non multiplicetur, neque ſuperaugeatur.*

Ex Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio II. anno Domini 1139. mille circiter Patrum can. 13. *Porrò deteſtabilem, & probroſam diuinis, & humanis legibus per Scripturam in veteri, & in nouo Teſtamento abdicatam, illam, inquam, inſatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni Eccleſiaſtica cõſolatione ſequeſtramus : præcipientes, vt nullus Archiepiſcopus, nullus Epiſcopus, vel cujuſlibet ordinis Abbas, ſeu quivis in ordine, & clero, niſi cum ſummâ cautelâ vſurarios recipere præſumat; ſed in totâ vitâ infames habeantur, & niſi reſipuerint, chriſtianâ ſepulturâ priuentur.* Audiſne iſta tonitrua ? Sperniſne iſta fulmina contra inſatiabilem fœneratorum rapacitatem diuinis, & humanis legibus damnatam, & per Scripturam in veteri, & in nouo Teſtamento abdicatam?

abdicatam? Certè qui hæc non audit, ſurdus eſt, qui hæc non metuit, ſtupidus.

Ex Conc. Turonenſi, cui præſedit Alexander III. anno Domini 1163. can.2. in quo ſic habetur : *Plures Clericorum (quod mœrentes dicimus) eorum quoque, qui priùs ſæculum votis, & habitu reliquerunt, dum communes vſuras quaſi manifeſtius damnatas exhorrent, commodatâ pecuniâ indigentibus poſſeſſionem eorum in pignus accipiunt vltra ſortem. Idcirco Generalis Concilij decernit authoritas, vt nullus amodo conſtitutus in Clero, vel hoc, vel aliud vſuræ genus exercere præſumat. Et ſi quis hactenus poſſeſſionem alicujus datâ pecuniâ ſub hac ſpe in pignus acceperit, ſi ſortem ſuam deductis expenſis de fructibus iam recepit, abſolutè reſtituat debitori. Sin autem aliquid minus habet, eo recepto, poſſeſſio libera ad Dominum reuertatur : quod ſi poſt hujuſmodi conſtituta in clero quiſquam extiterit, qui deteſtandis vſurarum lucris inſiſtat, Eccleſiaſtici officij periculum patiatur, niſi fortè beneficium Eccleſiæ fuerit, quod redimendum, & hoc modo de manu laïca videatur.*

Ex altero Concilio Generali Lateranenſi ſub Alexandro III. can. 25. vbi ſic legitur: *Quia in omnibus ferè locis crimen vſurarũ ita inoleuit, vt multi, aliis negotiis prætermiſſis, quaſi licitè vſuras exerceant, & qualiter vtriuſque Teſtamenti paginâ condemnentur, nequaquam attendant; ideo conſtituimus, vt vſurarij manifeſti nec ad communionem altaris admittantur, nec chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam: ſed nec eorum oblationem quiſquam accipiat; qui autem acceperit, aut eos chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & ea, quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatiſfaciat, ab officij ſui maneat executione ſuſpenſus.* Hîc paululum ſubſiſte, lector, & mirare mecum aduerſariorum cæcitatem, qui oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt: dicunt illi ante Alexandrum III. aliquid ſupra ſortem accipere abſolutè prohibitum non fuiſſe, nec vllos haberi canones, quib. perſonis laïcis id ipſum vetitum ſit: quaſi Alexander III. & ad eius exemplum Reges noſtri, primò prohibuerit lucrum omne ex pecunia; non ita quod omne tale lucrum ſit contra legem naturalem, aut diuinam

ſed

ſed quia multi palliationes excogitauerant, quibus vſuras pauperibus extorquerent, quas ſolas contra ius naturale, & diuinum eſſe volunt. Sed quantùm hallucinentur aduerſarij, prolixa antiquorum canonum ſeries clamat, quos ideo huc numeroſiſſimos ad meam vſque ſatietatem, & tuam cógerere volui, vt ſua ſaltem multitudine aduerſarios docerent, ne temerè vlterius negare audeant, quod luce meridiana clarius eſt. Et quantum ſpectat ad Alexandrum III. quis vnquam ſomniare potuit, ipſum nouam legem condere, vt lucrum omne ex pecunia Iure Eccleſiaſtico magis damnaret, quàm Iure diuino damnatas vſuras declararet, ac cenſuris percelleret? Sed prima verba canonis aduerſarios prorſus confutant, ait enim Alexander III. *Vſurarum crimen ita inoleuiſſe, vt multi quaſi licitè vſuras exerceant, & qualiter vtriuſque Teſtamenti paginâ condemnentur, nequaquam attendant.* Audi quos vſurarios condemnet, quos vtriuſque Teſtamenti pagina condemnauit. Eſt ne, amabo, vetus Teſtamentum lex noua, aut Euangelium Ius humanum? Certè cenſuras inurit Alexander III. iis vſurarijs, quos lex, Pro-

phetæ, & Euangelium condemnarunt; reſpicit autem Pontifex ad caput 6. Euangelij ſecundum Lucam, vbi vſuram prohiberi cenſet his verbis: *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Propterea quæro ab aduerſariis, an alio modo loquatur Alexander III. quam omnes antiqui canones, qui vſuras damnarunt: cum itaq; ab Alexandro III. & ſequentibus Pontificib. omne lucrum ex pecunia, ſeu quidquid ſupra ſortem accipitur, reprehendatur, damnetur, & prohibeatur, cur id negant de antiquis Conciliis, maximè cùm abſolutè, & ſine vlla diſtinctione pauperum, & diuitum tam Alexander III. quàm antiqui canones loquantur. Omitto Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. in quo cap. 67. Principibus Chriſtianis pręcipitur, vt Iudæos ab vſuris coërceant: Et in vltimo capite, vbi agitur de expeditione ad recuperãdam Terram ſanctam, compelluntur Iudæi fructus pignorum perceptos in ſortem computare, & creditores remittere iuramentum ſibi de ſoluendis vſuris à debitorib. præſtitum, & ab vſurarum exactione deſiſtere, alioquin ad reſtitutionem per cenſuras adiguntur.

Eadem

Eadem habentur in Conc. Generali Lugdun. ſub Innocentio IV. *c. de vſuris*, & maximè *capite ſuper Cruciata*. Et aliud Conc. Lugdunenſe Generale ſub Gregorio X. confirmat conſtitutionem Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. editam contrà vſurarios, quam inuiolabiter obſeruandam præcipit ſub interminatione diuinæ maledictionis, prohibétque ſub grauiſſimis cenſuris, ne quis manifeſtis vſurariis domos ad exercendas vſuras locet, aut alio quocunque titulo concedat; prohibet etiam, ne vniuerſitates huiuſmodi vſurarios in terris ſuis habitare permittant. Et vt appareat, quàm iniqua, & quàm naturali Iuri, & diuino contraria ea omnia lucra ex pecuniis ſupra ſortem conquiſita Concilium iſtud crediderit, cap. 27. præcipit, vt eis Eccleſiaſtica ſepultura denegetur, quanquam de vſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtinctè in vltima voluntate mandauerint, donec de vſuris ipſis, prout eorum facultates patiuntur, plenariè ſatisfactum, vel ſufficienter de reſtitutione facienda cautum fuerit: prohibetque, ne vllus vſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſeu abſol-

uat, niſi de vſuris ſatisfecerint, vel idoneam cautionem præſtiterint;ſed vt omnis tergiuerſandi occaſio aduerſariis præripiatur.

Adducam in hanc rem authoritatem Concilij Generalis Viennenſis ſub Clemente V.quæ habetur *in Clem.tit.de vſuris*, vbi dicitur: *Ex graui ad nos inſinuatione peruenit, quod quorundam communitates locorum in offenſam Dei, Proximi, ac contra Iura diuina, pariter & humana vſurariam approbantes quodammodo prauitatem, per ſtatuta ſua iuramento quodammodo firmata vſuras exigi, & ſolui nedum concedunt; ſed ad ſoluendas eas debitores ſcienter compellunt, &c. Nos igitur pernicioſis his caſibus obuiare volentes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, vt quicunque communitatum ipſarum Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Iudices, Conſiliarij, aut alij quiuis officiales ſtatuta huiuſmodi de cætero facere, ſcribere, vel dictare, aut quod ſoluantur vſuræ, vel quod ſolutæ cùm repetuntur, non reſtituantur, plenè, ac ſcienter iudicare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrant, &c.* Ecce quomodo Concilium omnem vſurariam prauitatem contra Iura diuina, & huma-

na

na esse iudicauerit : Et quomodo anathemate percusserit communitatum officiales , qui huiusmodi prauitati fauere non verentur : sed extra omne effugium est,quod sequitur. Sanè inquit Conciliũ : *Si quis in vllum errorem inciderit,vt pertinaciter affirmare præsumat,exercere vsuras non esse peccatum : decernimus, eum velut hæreticum puniendum;locorum nihilominus ordinariis , & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtius iniungentes,vt cõtra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos inuenerint,aut suspectos tanquam contra diffamatos,&c.suspectos de hæresi procedere non omittant*.O quanti nũc essent,Deus bone! de hæresi suspecti,si districtiùs contra eos inquireretur ; multi enim istis temporib. affirmare præsumunt , lucrum omne ex pecuniâ, seu quidquid supra sortem mutuo datam accipitur, non esse vsuram,si pecunia datur diuitibus , aut mercatoribus. Nonne Clemens V. damnat omnes vsuras, quas Alexander III. & alij summi Pontifices post Alexandrum III.damnauerunt; sed Alexander III. & sequentes Pontifices omne lucrum ex pecunia siue à diuitibus, aut mercatoribus,siue à pauperibus exigatur , reprehendit , & dam-

nauit: Ergo & Clemens V. omne tale lucrum reprehendit, & damnat: Atqui Clemens V. dicit, quòd quicumque pertinaciter affirmare ausus fuerit, tale lucrum, cùm sit vsurarium, non esse peccatum, puniendus est, vt hæreticus, aut vt suspectus de hæresi: Ergo qui dicunt, lucrum ex pecunia, seu quidquid supra sortem à diuitibus, aut mercatoribus exigitur, non esse vsurarium, & peccatum, sunt puniendi tanquam hæretici, aut vt suspecti de hæresi, si id negare pertinaciter præsumpserint. Sed ne videamur aduersarios nimis vrgere, saltem sic argumentabimur: Omne tale lucrum ex pecuniâ tanquam vsurarium damnatur ab Alexandro III & à Clemente V. & tanquam hæreticus est puniendus, qui in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, huiusmodi vsuras exercere non esse peccatum; atqui hæresis non est, nisi quia est contra verbum Dei, siue scriptum, siue traditum: ergo iste error est contra verbum Dei: ergo non est tantùm contra Ius humanum, sed contra Ius diuinum. Malè igitur sentiunt aduersarij, qui dicunt, aliquid supra sortem pecuniæ datæ exigere à diuite, aut

merca

mercatore non esse contrarium Iuri naturali, aut diuino, sed tantùm Iuri humano.

Vnum superest, quod superioribus ex eodem Concilio adiungendum censeo, vt nullus dubitandi, aut ignorandi causam habere possit, quantâ diligentiâ istud turpe lucrum Ecclesia ab humana societate proscribere voluerit, quanto odio vsurariam prauitatem prosequuta fuerit; dicitur enim ibi: *Cæterum quia fœneratores sic vt plurimum cōtractus vsurarios occultè ineunt, & dolosè, quòd vix conuinci possunt de vsuraria prauitate, ad exhibendum, cùm de vsuris agetur, suarum codices rationum, censura ipsos decernimus Ecclesiastica compellendos.* Heu quanta sunt auaritiæ effugia, quantam iniquitatem sub legitimorum contractuum imagine fraus ipsa fœneratoris occultat! Præcipuè vero nostris temporibus, quando vsuraria prauitas duplici quasi pallio vtitur, nec mirum sanè cùm iam multorum charitas non modò refrigescat, sed penitùs extincta sit: sub honesto quippe societatis, aut alterius contractus pallio latet, vt propriam fœneratoris conscientiam fallat; sub publico verò mendacij pallio delitescit,

fecit, vt Iudicem decipiat; honeſtam enim ſocietatem prætexit, vt Dei ſententiam effugiat, quem fallere non poteſt; mendacium verò iniquitatis miniſtrum adhibet, vt Iudicis ſententiam fallendo extorqueat, aut vt debitor ad intereſſe (vt aiunt) condemnetur, aut vt mercator centum V. G. & quinque nummos, quos ſe accepiſſe falsò confeſſus eſt, cùm reuerâ centum tantum receperit, ſoluat: ſi ſocietas inita eſt, cur mutuum eſſe falsò dicis, quis hanc accuſet? Si mutuum eſt, cur ſocietatem prætexis, vt te accuſes? Reuerâ vtrobique mentiris, vt duplici mendacio te ipſum fallas, & Iudicem decipias; ſed profectò non falles, aut decipies Deum, cuius oculis omnia aperta ſunt, cùm ſcrutetur etiam abſcondita cordis, apud quem tua etiam conſcientia contra teipſum teſtimonium feret, cogitationibus inuicem accuſantibus, aut etiã defendentibus, vt cum Apoſtolo loquar; accuſabit enim te publicum mendacium, nec excuſabit laruata ſocietas, per quam te defendis, & per quam tutum te eſſe arbitraris.

Ex Concilio Mediolanenſi primo ſub ſancto Carolo *cap. de vſuris*, vbi ſic habetur:

betur: *Vſuram ad perniciẽ populorum latiùs manantẽ pro noſtri muneris cura reprimere cupientes, quædam huius generis delicta ex ſacrorum canonum, & probatorum Patrum ſententiis delegimus.* Et infrà: *Ex mutuo, vel depoſitis etiam ad Iudæum factis nihil præter ſortem à quovis homine percipi ex conuento, vel principaliter ſperari poſſit: tametſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus id iure nominatim permittatur.* Huic Concilio addi poteſt authoritas Eccleſię Gallicanæ in Conuentu Melodunenſi anno 1579. *cap. de vſuris*, his verbis: *Vſuram lienis inſtar inflati, & totum corpus macidum efficientis, omnem Rempublicam eneruare, omnibus notum, & compertum eſt: quapropter vt tanto occurratur malo, lucrandum eſt, ne quid ex mutuo, vel depoſitis etiam apud Iudæum factis aliquid præter ſortem à quovis homine percipi ex conuento, vel principaliter ſperari poſſit, tametſi pecuniæ ſint pupillorum, aut viduarum; omnes enim audire tenentur illud Chriſti:* Mutuum date nihil inde ſperantes. Eadem habet Conc. Burdegalenſe anno 1583. vt videas, quòd omnia iſta Concilia omnes vſuras omnibus,

&

& erga omnes prohibeant, tanquam vetitas iure diuino, & maximè illo loco Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Alia multa ex nouis Conciliis congerere potuiſſem; ſed iam tempus eſt, vt ad alia properemus.

Ex his omnibus Conciliorum authoritatibus duo præcipuè colligo. Primò quidem, quòd omne lucrum ex pecuniâ quomodocunque ſupra ſortem accipiatur, ſit contra legem Dei, ſiue à diuitibus, ſiue à pauperibus, ſiue à mercatoribus, ſiue ab iis, qui negotiis vacant, exigatur: ac proinde quod omnibus tam laïcis, quàm clericis ſemper prohibitum fuerit. Secundò, vanam, & inutilem eſſe eorum excuſationem, qui hujuſcemodi lucrum ſentiunt, non eſſe illicitum, ſi modò à diuitibus, aut mercatoribus exigatur: abſolutè non prohibent, ne aliquid ſupra ſortem pecuniæ mutuo (inquiũt) datæ accipiatur à diuitibus, & negotiatoribus, qui res ſuas ex datâ pecuniâ maximè amplificant, & augent; ſed ſolùm ne quid ſupra ſortem accipiatur à pauperibus, qui cùm iam ſatis neceſſitate ſua premantur, talibus non ſunt vſuris penitus opprimendi; maximè cùm

virtualis

virtualis, & implicita quædam ſocietas cum duplici aſſecurationis contractu cum diuitibus, & mercatoribus iniri videatur. Non enim eſt contra æquitatem, quòd qui dat pecunias, aliquam partem lucri, quod ex iis prouenire ſolet, percipiat; ſi autem ſocietas legitimè inſtitui poſſit, cur non inſtituta cenſeatur ab eo, qui dans pecuniam eo meliori modo, quo licitè fieri poteſt, lucrum expectat; dum enim de aliqua parte lucri vltra capitale paciſcitur, nihil aliud intendit, quàm ſocietatem iniri, Capitale, & inſuper aliquam partem lucri aſſecurando; nec enim refert, ſi id expreſsè in pactum non deducat, quandoquidem hos omnes contractus implicitè celebrare cenſeatur, cùm velit tutâ conſcientiâ eo omni modo, quo legitimè fieri poteſt, lucrum aliquod ſupra ſortem principalem percipere. Hæc ſunt celeberrima illa auaritiæ latibula, è quibus immaniſſimæ fœneratorum belluæ in Rempublicam Chriſtianam erumpunt, quæ, vt crudeliùs ſæuiant, ſub aliqua probatorum contractuum ſpecie ſuam immanitatem excuſare ſolent, &, vt ſuis excuſationibus aliquod robur adiicerent; quorundam

quorundam Theologorum patrocinium ambierunt, qui ſuo calculo, & ſuffragio iſtam vſurariam calliditatem approbarent, quod & obtinuerunt; ſunt enim Theologi, qui cùm fœneratores ſuam excuſent iniquitatem, ipſi fœneratorum excuſationes excuſant, à quorum mente longè aberat Pſalmiſta, ſicut & omnis catholicus Doctor longè eſſè debet, dum *Pſalmo* 140. ſic orabat: *Non declines cor meū in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis; cum hominibus operantibus iniquitatem non communicabo.* Sed vt ad noſtrum propoſitum redeamus, nonne contra omnes iſtos Doctores, & fœneratores maximam habemus impoſitam nubem teſtium? Nonne Conciliorum canones hucvſque allati ſuâ multitudine numeroſiſſimi, ſuâ authoritate grauiſſimi, & validiſſimi euincunt, vſurarium eſſe, quidquid ſupra ſortem exigitur, à quocunque exigatur? Nunquid fœneratores ſuas non adducebant excuſationes? Nunquid, quo meliori modo fieri poterat, lucrum iſtud ex pecuniâ ſuâ percipere non intendebant? Nunquid iſtas omnes ſocietatis laruas tunc non prætexebant? Certè fœneratores

olim

olim tam excuſationibus, quàm exactionibus abundabant : nec vnquam ſanè illis defuit animus lucrandi , quo meliori titulo legitimè fieri poterat ; ſed nec iſtas ſocietatis laruas ignorarunt , maximè cùm Patres ſæpiſſimè legamus,quibus artibus iſtud vſurarium lucrum defenderent : nunquid aiebant , alius gratis ex meo diteſcet ? Nunquid rem familiarem ex meis pecuniis augebit ſine vllo meo fructu, ſi pecuniæ meæ ille factus eſt particeps ? Cur ego prouenientis lucri particeps non ero ? Hæc & hujuſmodi effugia Patres non admiſerunt , has excuſationes non audierunt , iſtas omnes calliditates condemnarunt , nec vnquam diſtinxerunt inter lucrum , quod ex pecuniâ pauperibus traditâ accipitur, & illud quod à diuitibus , & mercatoribus exigitur, & cùm abſolutè prohibuerint, ne quid ſupra ſortem principalem tam in pecuniâ , quàm in frugibus accipiatur, eo quod illud omne lucrum diuinæ legi contrarium eſſe putarent , vt cuilibet facilè ex ſuperioribus patere poterit : & ne putes hæc me in Patribus fingere, adducam locum ex Ambroſio *lib. de Tobia, cap.6.* præter ea , quæ ab Hieronymo

mo ſuperiùs audiſti , dum ageretur de 18. capite Ezechielis. Attende ad verba Ambroſij: *Nouos hæredes aucupantur*(loquitur de fœneratoribus) *adoleſcentulos diuites explorant per ſuos , adjungunt ſe ſimulantes paternam,& auitam amicitiam, volunt domeſticas eorum cognoſcere neceſſitates : ſi quam cauſam inuenerint,accuſant verecundiam, pudorem arguunt : ſin verò nullos laqueos alicujus neceſſitatis offenderint , intexunt tabulas , aiunt, nobile prædium eſſe venale, amplam domum , accumulant prouentus fructuum , annuos reditus exaggerant , hortantur , vt coëmant, neganti ſe habere pecuniam ingerunt ſuam, dicentes : vtere vt tuâ, de fructibus emptæ poſſeſſionis pretium multiplicabis, debitum reddes*,&c. Et infrà:*Vbi ſatis eum ſecurum reddiderint, repente ingruunt,inſtant vehementiùs, & cauſanti incumbunt dicentes:tu poſſides tua prædia , nos noſtram pecuniam non habemus : aurum dedimus , lignum tenemus, tibi fructuum emolumenta procedũt, nobis nihil accreſcunt pecuniæ , otioſa cauſatio eſt:ſaltem renouetur chirographũ*, &c. Diceres, Ambroſium noſtrorum temporum artes, & callidas excuſationes audiuiſſe; ſed ne vllus ampliùs cauillandi lo-

cus aduersariis supersit, nouissima Concilia proferam, in quibus istæ omnes fictitiæ societates cum duplici assecurationis contractu initæ damnantur, siue implicitè, siue etiam explicitè cum mercatoribus conuentum fuerit.

Probatur itaque vltimò ex Concilio Mediolanensi I. sub sancto Carolo *cap. de vsuris, circa medium,* vbi habetur: *Ne in societate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas partes, nec vltra eas certa pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam persoluatur: neque fiat pactio, vt sors salua sit, fructus verò communiter diuidatur.* Quid, quæso, hac authoritate dilucidius? In qua duo obseruo, quæ casus nobis propositi iniquitatem demonstrant: Primum quidem, quòd lucrum debeat fieri per quotas partes, hoc est, proportionales secundum proportionem eorum, quæ quis ad societatem contulit: In casu verò proposito certa lucri pars, & determinata ex pacto constituitur, siue lucrum sit abundans, siue exiguum, siue nullum. Secundum verò, quod sors ex pacto assecurari non possit,

si

ſi quis lucri particeps eſſe velit; ne quis hanc authoritatem aliquo cauillo eludere tentet, audiat ſequentia verba de ſocietate animalium, vbi omnis pactio aſſecurationis tam capitalis, quàm lucri prohibetur; ſubjungitur enim: *In ſocietate animalium, quæ inæſtimata alicui dantur ad cuſtodiam, ſiue vt operas præſtet, omnes caſus etiam fortuiti ſemper ſint periculo eius, qui dederit, niſi id alterius ſocij dolo, vel magnâ negligentiâ accidiſſe conſtiterit. Nec fiat pactum, vt ſors ſit ſemper ſalua etiam ex primis fœtibus; ſi autem animalia dentur æſtimata, ita vt ſors danti ſalua ſit, nihil omnino percipi poſſit.* Vides, quòd pactum aſſecurationis capitalis prorſus excludatur, non ratione fructus ſocietatis communiter, & æqualiter diuidendi, ſed præcisè ratione ſui, cùm eo poſito nihil omnino percipi poſſe velit Concilium. Additur præterea: *Neve quidpiam certum præter ſortem quotannis ex fructibus animalium ſoluatur.* Ecce aliud iniquitatis caput, dum ſcilicet certa pars futuri fructus conſtituitur, cùm tamen ſola proportionalis pars iuſtè ſperari poſſit.

Idem dicunt, & ferè iiſdem verbis

noua Concilia Galliæ: Et primò quidem in constitutionibus Melodunensibus Cleri Gallicani coacti anno 1579. *cap. de vsuris*, eadem habentur, quæ breuitatis causâ transcribere visum non est, cùm cuilibet facilè patêre possint, apud quem præstò erant Concilia nouissima Galliæ. Deinde Concilium Burdegalense anno 1583. eandem prorsùs doctrinam habet *cap.29.de vsuris,& illicitis contractibus*; sed ea omnia missa facio, vt summorum Pontificum authoritates proponam, & expendam.

CAPVT VI.

Argumenta ex summis Pontificibus.

PRobatur primò, quod omne lucrum ex pecuniâ, à quocumque illud exigas, siue à diuite, siue à paupere, siue à mercatore, siue ab eo qui mercaturam non exercet, sit illicitum, & contra Ius diuinum, & quod ante Alexandrum III. tam laïcis, quàm clericis fuerit prohibitum. Ex Sancto Leone I. sermone 6. de Ieiunio decimi mensis: *Iniusta, & impu*

impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare, cùm decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciſcenti; dumque certiora exiſtimat præſentia, quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri cauſa ſit damni. Vnde quilibet ſequatur euentus, mala ſemper eſt ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuiſſe, & auxiſſe peccatum eſt: vt aut miſer ſit, amittendo quod dedit, aut miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda eſt prorſus iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt, multiplicatur quidem facultas iniuſtis, & triſtibus incrementis; ſed mentis ſubſtantia contabeſcit, quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ; quid enim de huiuſmodi ſentiat Deus, ſacritiſſimus Propheta Dauid manifeſtat, qui cùm diceret: Domine quis habitabit in tabernanaculo tuo; aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? *Reſponſo diuinæ vocis inſtruitur, & eum ad æternam requiem pertinere cognoſcit, qui inter alias piæ conuerſationis regulas, pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: Et à tabernaculo Dei oſtenditur alienus, & à ſancto monte eius extraneus qui doloſum quæſtum de pecuniæ ſuæ captat vſuris:*

ris:& dum per aliena cupit damna ditari, æternâ dignus eſt egeſtate puniri. Idem Epiſt.7. cap.3. & cap.4. ait: *Illud etiam duximus præmonendum, vt ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet; indecens enim eſt crimen ſuum commodis alienis impendere,* &c. *Nec hoc quoque prætereundum eſſe duximus, quoſdã turpis lucri cupiditate captos vſurariam exercere pecuniam, & fœnore velle diteſcere, quod nos non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed in laïcos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus: quod vindicari acriùs in eos, qui fuerint confutati, decernimus, vt omnis peccandi opportunitas adimatur.* Sanctus Greg. *lib.*8. *epiſtolarum, epiſt.*40. vſurarios ab ordinibus excludit, ait enim: *De Petro ad nos perueniſſe cognoſcite, quòd ſolidos dedit ad vſuram: quod vos oportet cum omni ſubtilitate perquirere, & ſi ita conſtiterit, alium eligite, & ab huius vos perſonâ ſine mora ſuſpendite; nam nos amatoribus vſurarum nullâ ratione manus imponimus.* Alios quamplures ad hanc rem ſummos Pontifices, qui Alexandrum III. præceſſerunt, congerere potuiſſem; ſed ne tædio lectorem afficiam, omnia

præte

prætermitto, vt ad eas authoritates tranſeam, quæ contra tres contractus expreſſiùs facere poſſunt; duas tamen authoritates breuiter indicabo, quæ planè euincunt, ante Alexandrum III. omne lucrum ex pecunia tanquam legi diuinæ contrarium prohibitum fuiſſe. Audi eundem Alexandrum reſcribentem Salernitano Archiep. *Quidam*, ait, *impudenter affirmant, illas dumtaxat vſuras reſtituendas eſſe, quæ ſunt poſt interdictum noſtrum receptæ, nec aliquos ad ſoluendas vſuras, quas ante interdictum noſtrum receperant, debere compelli: ſuper his diſcretioni tuæ reſpondemus, quod ſiue ante, ſiue poſt interdictum noſtrum vſuras receperint, cogendi ſunt ſub pœna, quam ſtatuimus in Concilio, eas his, à quibus extorſerint, vel eorum hæredibus reſtituere: vel his non ſuperſtitibus, pauperibus erogare*: Cùm (*iuxta verbum Auguſtini*) non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Audis, quòd omnes vſuræ ante decretum Alexandri III. ſint reſtituendæ: ergo erant prohibitæ: ergo non eas malas, & iniuſtas fecit Ius humanum, ſed Ius naturale, & diuinum. Altera authoritas eſt Vrbani III. quæ habetur *cap. conſuluit, extra de vſuris*.

vsuris, his verbis: *Consuluit nos tua deuotio, an ille in iudicio animarum, quasi vsurarius debeat iudicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, vt licèt omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat,* &c. *Et an negotiator pœnâ consimili debeat condemnari, qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogatur, quàm si ei incontinenti pretium persoluatur. Verùm quia quid in his casibus tenendum sit, ex Euangelio Lucæ manifestè dignoscitur, in quo dicitur* : Mutuum date, nihil inde sperantes. *Hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cùm omnis vsura, & superabundantia prohibeatur in lege) iudicandi sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum iudicio efficaciter inducendi.* Audiant hæc aduersarij : Audiant & Confessarij. Omnis vsura, & superabundantia in lege, & Euangelio prohibetur : Et hoc ex capite 6. Lucæ probat summus Pontifex ; sed tempus est, vt accedamus ad eas authoritates, quæ tres Contractus iniquitate plenos esse demonstrant.

Probatur itaque ex Innocentio III. cuius authoritas habetur *extra de donationibus inter virum, cap. per vestras*, ex quo loco, ni fallor, clarè sententia nostra confirmabitur, & opposita planè euertetur, licèt aduersarij hunc locum in suas partes trahant. Sed antequam germanam hujus loci intelligentiam attingam, breuiter monebo, oppositos authores ex hoc vno loco totius Iuris Canonici suam sententiam astruere conatos esse; cùm tamen alienum prorsus à mente Pontificis sensum commenti sint, sumptâ videlicet erroris occasione ex aliquibus verbis in speciem fauentibus, perperã tamen intellectis, & expositis; cùm itaque hoc vnicum sit in toto iure oppositę sententiæ fundamentum, operępretiũ est, hujus capitis intelligentiam ex ipsius causæ visceribus perspicuè elicere. Itaque obserua breuiter casum istius capitis ad Innocent. III. ab Archiepiscopo, & Archidiacono Genuensi sic velatum fuisse, quod: Cùm H. ad inopiam vergeret, & inter ipsum, & vxorem suam coram Consulibus quæstio verteretur, marito hinc dotem postulante, vxore verò illinc cautionem idoneam exigente, à Consulibus

ſulibus pronuntiatum fuerat, dotem marito aſſignari non debere, niſi idoneam præſtaret cautionem, poſtmodumque cùm H. coram ipſo Archiepiſcopo, & Archidiacono Genuenſi, ad quos reſcriptum Apoſtolicum obtinuerat, dotem poſtularet, citatus R. apud quem dos cuſtodiæ causâ depoſita fuerat, Reſponderat primò prædictum H. vxorem à ſe repuliſſe. Secundò aliàs à Conſulibus Genuenſibus pronuntiatum eſſe, dotem marito aſſignatam non eſſe, niſi ritè de ea caueret; vnde prædicti Archiepiſcopus, & Archidiaconus non alia conditione dotem marito aſſignandam decreuerant, niſi & cautionem daret, & vxorem reciperet; ſed cùm ob inopiam cautionem præſtare non poſſet, idem Archiepiſcopus, & Archidiaconus Pontificem conſuluerunt. Reſponditque ſummus Pontifex his verbis, quæ velim diligenter perpendas: *Cùm ergo*, inquit, *ſatis poſſit ei modicum credi dotis, cui creditum eſt corpus vxoris: Mandamus, quatenus dotem aſſignari faciatis eidem ſub eâ, quam poteſt cautione præſtare, vel ſaltem alicui mercatori committi, vt de parte honeſti lucri dictus vir poſſit onera matrimo-*

nii sustentare , ne occasione dotis detentæ vxor à viro dimissa , seu vir , qui dimisit vxorem , adulterij reatum incurrat. Hæc Pontifex. Ex quibus verbis profectò quisquis sine præjudicatâ opinione hoc caput perlegerit,facilè intelliget ad hoc præcipuè Pontificis mentem spectare, vt adulterij periculum auertat, & peccatum potiùs præcaueat, quàm vt maritus vxori de dote caueat : quod ex ipsius verbis clarè patet : *Ne occasione dotis detentæ*,inquit, *vxor à viro dimissa, seu vir , qui dimisit vxorem , adulterij reatum incurrat.* Hoc siquidem præcipuum pastoralis sollicitudinis officium est, vt magis animæ, quàm pecuniæ periculum timeat , & caueat, majoremque curam circa æternam subditorum salutem , quàm circa terrenas facultates, impendat : quantùm verò ad vxoris securitatem spectat , audi quam parum de ea Pontifex curet ; ait enim : *Mandamus, quatenus dotem marito sub eâ , quam potest cautione præstare, assignari faciatis ; satis enim potest modicum credi dotis , cui creditum est corpus vxoris* : quasi dicat : Num anima plus est, quàm esca, & corpus plus , quàm vestimentum ? Nunquid corpus suum vxor

marito

marito committet, & pecuniam suam, quæ corpore longè ignobilior est, eidem credere non audebit? Si tamen velit sibi de dote caueri, eam, quam potest maritus, cautionem præstabit: & ibi glossa addit (saltem iuratoriam): Si denique vxor nolit huic conditioni acquiescere, hæc verba Pontifex addit, vt vtrique parti faciat satis: *Vel saltem alicui mercatori committi* (supple mandamus) *vt de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonij sustentare.* Ex quibus verbis patet, quòd prudenter ad conciliandos conjuges hanc viam Pontifex suggesserit, vt scilicet maritus ex honesto societatis lucro onera matrimonij sustineret, licèt dotem apud se habere non permitteretur; & aliunde vxor ex honesti, & opulenti mercatoris fide tutior esse posset, quàm ex incertâ, & iuratoriâ mariti ad inopiam vergentis cautione: neque aliam securitatem vxor à marito exigebat, quàm eam, quæ solet honestis vxoribus satis esse. Nunquid autem satis tuta videtur vxor, si dos apud prouidum, & opulentum mercatorem deponatur, cùm ipsa vxor mercatoris, cui pecunia committebatur, non aliam à suo marito exigere

 posset?

posset? Hoc siquidem vnum mulier ista vitare volebat, ne ob mariti inopiam sua dos penitus dilapidaretur; non verò sibi caueri postulabat, vt apud quendam mercatorem deponeretur, vt omnimodâ securitate gauderet.

Ex his argumentum ad nostræ sententiæ præsidium desumam, simul & oppositæ sententiæ fundamentum diruam, & euertam, & primò quidem sic argumentor: Innocentius III. pecuniam mercatori committi mandat, vt ex parte honesti lucri maritus onera matrimonij sustentare possit; sed non potest esse honestum lucrum, si intercedat assecuratio capitalis: ergo Innocentius III. non vult committi pecuniam mercatori cum assecuratione capitalis. Et expende diligenter tria ista verba (ex parte honesti lucri) dicitur enim ex parte, quia inita societas censetur, ac proinde non nisi pars lucri ad socium peruenire potest: dicitur autem honesti lucri, quia scilicet lucrum ex honestâ societate percipitur, nullo pacto intercedente, quod societatem perimat, aut violet: vt enim ait Glossa in notula, honesti lucri: *Non tenetur maritus fœnerari dotem, & de vsu-*

ris

ris alere vxorem, sed conuertat eam in societatem honestam, vel aliquod commercium, & ex lucro honesto eam alat. Sic etiam hoc caput cum Glossa intelligit Syluester, quem tamen oppositi authores pro se citare non verentur; cujus quidem authoritatem postea pleniùs adiiciam; sed quantùm ad istud caput spectat, sic ait *in summa, verbo, dos, quæst.* 12. *quæ sint priuilegia dotis, in* 5. *priuilegio,* vbi habet: *Ego vero dico, si capitale sit saluum, contractum esse vsurarium, nec opinio prædictorum authorum habetur ex dicto capite,* per vestras; *sed potiùs oppositum, iunctâ glossâ, cùm nominet lucrum honestum, quod esse non posset, si esset vsurarium.* Hæc Syluester. Sic intellexit etiam Abbas Panormitanus caput istud, vt postea pleniùs ex eius authoritate patebit; quædam tamen ipsius verba prælibare iuuat; exponens enim istud caput inter multa hæc adiicit: *Ne credas, quòd licitum sit à principio pacisci, vt habeat deponens decem pro centum, vel aliam quantitatem, vt faciunt quædam viduæ credentes hoc eis licere, & solent aliqui ad earum defensionem allegare textum istum. Certè hoc non est licitum, quia*

non licet alicui ex pacto quantumcunque minimum capere ex pecuniâ, ſi non ſubiicit ſe periculo: quinimò textus iſte apertè dicit, quòd capiatur pars de honeſto lucro. Hæc Panormitanus. Sic intellexit Barboſa *in Collactaneis in iſtud caput, numero* 1. & clarè *num.* 8. vbi ait: *Notatur ad hoc, quòd ſocietas, in qua capitale ſaluum ſeruatur, dicitur vſuraria.* Multos alios adducere poſſem, quos de induſtria miſſos facio, cùm eorum authoritates infra ſubiieiendæ ſint, vt Baldum, Palatios Rubios, Calder. Conrad. &c.

Dices: Innocent. III. mandat, dotem marito præſtitâ cautione aſſignari, vel ſaltem mercatori committi, vt de parte honeſti lucri maritus poſſit onera matrimonij ſuſtentare: ergo contractus aſſecurationis capitalis interuenire debuit, alioquin licèt ſufficienter mariti petitioni; non tamen ſatis vxoris ſecuritati proſpectum fuiſſet, ſi dos negotiationis periculo ſubjacuiſſet: quod etiam ex illis verbis textus, ex parte honeſti lucri mercatori remittebatur ratione periculi, quod ex aſſecurationis contractu in ſe ſuſcipiebat, & alia pars recipi poterat ratione ſocietatis ad matrimonij onera ſuſtentanda.

Reſpondeo,

Reſpondeo, Innocent. III. vt obſeruaui, non tam vxoris ſecuritati, quàm vtriuſque conjugis ſaluti proſpicere voluiſſe, nec aliam exigi à marito cautionem mandauit, quàm eam, quam vxori præſtare poterat ille, cui totum ſuum corpus ipſa crediderat; dum autem dotem mercatori committi mandauit, vt ex parte honeſti lucri maritus onera matrimonij ſuſtentare poſſet, hoc vnum intendebat, vt dos in tutiori ſtatu collocaretur, quàm eſſet apud maritum ad inopiam vergentem; nec profectò aliam deſiderabat vxor ſecuritatem, quàm vt ſua dos periculo, cui ex mariti inopia ſubjicebat, ſubtraheretur, & in tutiori loco poneretur; quod ſane prudenter fieri videbatur, dum apud honeſtum, opulentum,&prouidum mercatorem dos ipſa collocabatur. Nec enim capitalis aſſecurationem vxor exigere poterat,cùm ex tali contractu nihil lucri ad ſuſtentanda onera matrimonij iuſtè exigi potuiſſet: hoc vnum itaque ipſi permittebatur, vt magno ſtudio mercatorem conquireret, cujus diligentiam, induſtriam, & fidem exploratam haberet. Quantùm verò ſpectat ad illa verba (ex

parte honesti lucri)satis mirari non possum,quomodo oppositi authores ex hoc vnico textu non satis claro, immò prorsus contrario, & opposito , ex omnium ferè Iuris Canonici Interpretum sententiâ,tam periculosam in Christianum populum opinionem inducere ausi sint , cùm solùm per quasdam incertas,immo & fictitias consequentias,quæ vim potiùs textui inferant , quàm lucem afferant , sententiam magis extorqueant , quàm deducant ; quid enim difficultatis in illis verbis jacet , amabo? Dicitur siquidem (ex parte honesti lucri) honesti quidem lucri propter honestam societatem, quæ nullo contrario pacto euertitur , aut violatur ; dicitur verò (ex parte) quia socius non nisi partem lucri ex societate obuenientis percipere potest , alioquin non honesta sed leonina societas censeretur .Nonne,quæso , violenta , seu potiùs fictitia prædictorum authorum expositio tibi videtur,quasi dicatur ex parte lucri , eò quòd aliqua lucri pars mercatori remitteretur propter assecurationis onus , quod in se suscipiebat , (honesti verò lucri) eò quòd lucrum ex societate tali contractu assecurationis vestitâ , & affectâ

affectâ perceptum honestum esset. Nec vllatenus nobis obiici potest, sine tali contractu assecurationis capitalis sufficienter vxoris securitati prospectum non fuisse; vt enim iam obseruaui, non aliam securitatem vxor exigebat, neque exigere poterat in prædicto casu, quàm quæ honestis mulieribus satis esse possit: Illud enim vnum profectò postulabat, vt sua dos periculo, cui ex mariti inopia subiacebat, subduceretur; neque hanc ex meo marte expositionem profero, sed ex innumeris Iuris canonici Doctoribus, quos ideo hic non recensebo, quia eorum mentio inferiùs habenda est: Addiderim solùm verba Barbosæ, quæ habentur in collectaneis in istud caput: *Planius*, inquit, *intelligitur hic textus, vt scilicet Pontifex non dicat dotem apud mercatorẽ saluam esse à damnis, & periculis fortuitis; cùm enim solum intendat textus dotem saluari à viro ad inopiam vergente, qui idoneam cautionem præstare nõ poterat; ad hunc effectum iubet eam apud mercatorem deponi, vt ex parte honesti lucri matrimonij onera supportentur. Erit igitur dos apud mercatorem eo modo; quo foret apud maritum non inopem, sed opulentum:*

&

& sicut penes maritum diuitem dos à fortuitis casibus libera non est, sed eisdem subiecta remanet ; igitur similiter penes mercatorem esse potest. Et quamvis textus in præsenti de solo lucro mentionem faciat; damnum tamen necessariò proportionabiliter inducit, ex l.cum duobus, §.damna, ff. pro socio. Addi potest & regula Iuris in sexto: Qui sentit commodum, debet sentire & incommodum. Hęc Barbosa. Et reuera ipsa verba textus sę inuicem exponunt; dicitur enim (ex parte honesti lucri) quomodo autem, quæso, honestum lucrum reputabitur, si non ex societate, sed ex mutuo percipiatur? Si enim dans pecuniã omne periculum, omnem industriam, omnes operas, & expensas, omnia onera & damna in mercatorem reijciat, ex quo amabo, honesto societatis titulo lucrum percipere poterit, cùm solam pecuniam sibi ex pacto saluam, & integraliter restituendam apud mercatorem ponat?

Probatur etiam *ex cap. super eo, extra de vsuris*, vbi Alexander III. Archiepiscopo Panormitano quærenti, an liceat ex datâ pecuniâ aliquid vltra sortem accipere ad redimendos captiuos, sic respondit: *Respondemus*, inquit, *quòd cùm vsurarum*

crimen

crimen vtriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus; quia cùm Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita Captiui vsurarum crimine innuoluatur. Ex hac authoritate patet, quòd ex sola pietate, & honestate mouebantur illi, qui ex datâ pecuniâ a iquod lucrum ad redimendos Captiuos, supra sortem perpiciebant, qui profectò non à pauperibus, sed à diuitibus, & plerumque à mercatoribus, illud eo omni, quo meliori titulo fieri poterat, exigebant, cùm ex misericordia non ex anaritia mouerentur; & tamen absolutè Pontifex respondet, hoc lucrum esse vsurarium, nec ex aliquo pietatis fine honestari posse.

Probatur *ex cap. nauiganti, extra de vsuris*, vbi Gregorius IX. interrogatus, an ille, qui suam pecuniam mercatori eunti ad nundinas dederat eo pacto, vt dans pecuniam periculum sortis in se susciperet, aliquid supra sortem licitè accipere posset? Sic respondet Pontifex: *Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quod suscipit*

suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus. Ex quo textu sic argumentor: Ille qui dabat pecuniam nauiganti, & eunti ad nundinas, lucrum aliquod ex periculo, quod in se suscipiebat, percipere intendebat, & præterea non deerat illi animus, quo honestiori titulo fieri poterat, áliquid à mercatore nauigante exigendi; & tamen tanquam vsurarius damnatur: ergo potiori iure damnandus erit ille tanquam vsuræ reus, qui dando pecuniam mercatori, totum periculum sortis in mercatorem reijcit, nullamque eius partem in se suscipit. Sed vt huius loci vis clariùs elucescat, præcipuè his calamitosis Ecclesiæ temporibus, cùm ex quolibet leuissimo, & iniquo titulo, & maximè ex quocunque etiam periculo facti aliquid supra sortem mutui exigi permittitur: Obseruo breuiter aliqua, quæ vana sæuientis auaritiæ præsidia euertant: Et primò quidem in isto casu obserua, dantem pecuniam duplex subiuisse periculū, nempè periculum Iuris, quod ex pacto in se suscipiebat, & periculum facti, quod ex ipsa negotiatione, & ipsa nauigatione oriri poterat, cùm talis mercator posset

ſet ex naufragio in paupertatem deuenire, ac proinde ipſe dans pecuniam ſua ſorte propter ingruentem calamitatem priuari. Secundò datam fuiſſe pecuniam mercatori, & non pauperi, aut nobili, cùm data fuerit eunti ad nundinas: præterea aderat in dante pecuniam aliquid vltra ſortem honeſtè lucrandi voluntas. Quid, amabo, in hodiernis palliatis ſocietatibus interuenit, quod in dicto caſu non occurreret? Nonne dabatur pecunia mercatori, cùm eunti ad nundinas committeretur, deerat-ne periculum facti, cùm nauiganti daretur? Sed nunquid aderat honeſtior, quàm in hodiernis ſocietatibus titulus, cùm dans pecuniam ſortis periculum in ſe ſuſciperet, eóque mercatorem exoneraret, cùm è contra apud nos totum pecuniæ periculum in mercatorem reiiciatur? Nunquid & abeſſe poterat animus honeſtè lucrandi, cùm aliquid ſupra ſortem ex pacto dandum eſſe conueniſſent? Reſpondit tamen Gregorius IX. tale lucrum eſſe vſurarium, nec ex aliquo tum Iuris, tum facti periculo excuſari poſſe, quantumuis dans pecuniam, illud ex pacto in ſe ſuſciperet. Neque ad vſuræ excuſationem vel

leuiter de virtuali hodiernâ ſocietate cogitauit; cùm tamen ſufficientiſſimum adeſſet huius ſocietatis fundamentum; non agnouit enim in iſto caſu niſi mutuum, ac proinde quidquid ſupra ſortem exigegebatur, tanquam vſuram damnauit. Quantum, bone Deus! alienus fuiſſet ſummi Pontificis animus ab iſtis futilibus ſocietatis titulis; præcipuè verò ab eo, qui ab aliquibus authoribus prætexitur ex periculo facti, cui ſemper ſubiacere cenſentur, qui ſuas mercatori pecunias committunt; præterquam quod enim reſponderi poſſet, quòd pecuniam apud mercatorem ponentes ſummo, quo poſſunt, ſtudio ſuæ ſecuritati inuigilant, & quantâ fieri poteſt cautione, conquirunt eos mercatores, quorum induſtriam, facultates, & fidem perſpectas habent; addiderim tamen, inanem prorſus eſſe iſtum periculi titulum, cùm non ſufficiat ad aliquid ſupra ſortem exigendum; ſed tantùm ad hoc, vt cautio præſtetur: alioquin cùm lex diuina in vtroque Teſtamento prohibeat, ne quid ex mutuo vltra ſortem accipiatur, idque maximè in fauorem pauperum, ruet profectò diuinæ legis authoritas, aut ſaltem vis eius penitus

tus infringetur, cùm maximè apud pauperes tale periculũ facti occurrere ſoleat; plerumque enim ipſam ſortem ſoluendi facultatem non habent: ac proinde potiùs ab ipſis, quàm à diuitibus aliquid vltra ſortem iuſtè exigi poſſet. Cùm tamen velit Scriptura, vt Hieronymus, Baſilius, Ambroſius, & Chryſoſtomus, intelligunt, nihil ex mutuo, nequidem ipſam ſortem à pauperibus ſperandam eſſe, ſecundùm illud Luc. 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.*

Probatur denique ex Sixto V. qui, vt has omnes vſurarum excuſationes, & vana, vt ita dicam, paludamenta exploderet, Bullam in hunc finem anno 1586. edidit, quæ ſic incipit: *Deteſtablis auaritiæ ingluuies*, in qua poſt enumeratas multas auaritiæ aſtutias, quibus illa mutuum ſub honeſtâ ſocietatis appellatione cũ duplici aſſecurationis comitante contractu occultare tentabat, damnauit, ac prohibuit omnes aſſecurationis pactiones tanquam vſurarias, his verbis: *Damnamus, & reprobamus omnes, & quoſcunque contractus, conuentiones, & pactiones poſthac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu quas cauebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaſlibet*

alias

alias res ſocietatis nomine tradentibus, vt etiamſi fortuito caſu quamlibet iacturam, damnum, aut amiſſionem, ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſaluum ſit, & integrum à ſocio recipiente reſtituatur, ſiue vt de certâ quantitate, vel ſummâ in ſingulos annos, aut menſes durante ſocietate reſpondeatur. Statuimuſque huiuſmodi contractus, conuentiones, & pactiones, vſurarios, & illicitos poſthac cenſeri debere. Atque in poſterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo, inter ſe paciſci, & concordare, neque etiam ſiue ad certum, ſiue ad incertum lucrum conuenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem, ſeu capitale ſaluum, & integrum, vbi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum, quouis pacto aut promiſſione ſibi obligare; ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub huiuſmodi pactis, & conditionibus, quæ vſurariam prauitatem ſapiunt, dſtiriƈtè interdicimus, & prohibemus.

Reſpondet Bonacina *diſput. 3. de contractibus, quæſt. 3. puncto* 11. damnari hac Bullâ ſocietatem, in qua periculum capitalis non ſtat apud dantem, ſed apud accipientem

cipientem ex ipsius societatis contractu, secus si periculum capitalis reijciatur in accipientem per contractum licitum assecurationis; nam summus Pontifex non intendit condemnare contractum iure communi licitum, si contractui societatis addatur, vt patet ex decisione Rotæ apud Farinacium *decisione* 137. *&* 180. & *quæst*.6. *puncto* 3. ait, hanc Bullam intelligendam videri de societate facta cum assecuratione, non compensato onere iusto pretio; vel de societate, in qua non admiscetur alius iustus contractus: sed hæc quàm fictilia sint, ex ipsis Bullæ terminis patet; & primò quidem nonne Bulla damnat omnes adiectas assecurationis pactiones etiam prætextu cuiuscunque partis lucri remittendi? Ait enim Pontifex: *Statuimusque, huiusmodi contractus, conuentiones, & pactiones vsurarios, & illicitos posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradēt, de certo lucro, vt præfertur, percipiēdo inter se pacisci, & concordare.* Et postea addit: *Neque etiam siue ad certum, siue ad incertū lucrum conuenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capitale saluum, & integrū,*
vbi

vbi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum, quovis pacto aut permiſſione ſibi obligare. Nonne vides, omnes iſtas pactiones etiam ſocietati superuenientes tanquam vſurarias damnari, ſiue de certo lucro, ſiue de incerto quis paciſcatur? Duo enim in hoc contractu damnat Pontifex. Primò quidem certi lucri determinationem. Secundò ipſius ſortis, ſeu capitalis aſſecurationem, ſiue de certo lucro, ſiue de incerto ſocij conuenerint: duplex itaque in hodiernis palliatis ſocietatibus iniquitas occurrit. Prima quidem in pacto de certo lucro percipiendo. Secunda vero in capitalis aſſecuratione poſita eſt, quæ, ne ex meo marte dicere videar, præterea, quæ iam ex dicta Bulla protulimus, ponderentur verba, quæ in §. 2. habentur, quibus regulam, & formam legitimæ ſocietatis contrahendæ præſcribit, ait ènim: *Sed potius cuncti nouerint, ſocietates huiuſmodi, cùm impoſterũ vnus pecuniã, animalia, aut alias res, & bona; alter vero operam, vel induſtriã cõfert, purè, ſincerè, & bona fide, ſicut decet, iuſtis, & æquis conditionibus, & pactis, ſecundùm Iuris diſpoſitionem, ac ſine vlla prorſus fraude, palliatione, aut vſurariæ prauitatis labe, aut ſuſpicione ineundas, ſeu*

contrahendas esse, ita vt ad certam summam, aut qaantitatem ab omni periculo, & damno, vt præfertur, immunem lucri nomine persoluendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum socius accipiens teneatur. Ex quibus verbis satis Bonacinæ, & aliorum responsio exploditur, cùm legem societatis præscribens Pontifex, omnes prorsus securitatis pactiones quocunque prætextu adijciendas remoueat, & tanquam vsurarias damnet. Nec multùm mouent decisiones Rotæ, cùm in illis agatur tantùm de assecurationibus, quæ cum tertio, aut post initam societatem celebrantur; hoc enim tantùm voluit Rota per Bullam Sixti V. non dãnari eas assecurationes, quæ à iure communi permittuntur, qualis profectò non est ea, de qua agimus. Siquidem de illis tantùm post Bullam dubium esse poterat, non verò de illis, quæ ipsi societati ab initio admiscentur, cùm luce meridiana clarius sit, Sixtum V. eas omnes interuenientes pactiones tanquam vsurarias damnasse, mandauisseque omnibus Iudicibus, vt eas tanquam vsurarias pœnâ iuris in vsurarios manifeste decretâ punirent, vt habetur ex §. 4. & 5. quæ omnia

nia breuitatis cauſâ referre non licet: ſolùm addam aliqua verba ex §.5.vbi ait: *Sic ab omnibus cenſeri,& ita quod præmiſſa vniuerſa,& ſingula per quoſcunq; Iudices, & Cõmiſſarios quauis authoritate fungentes etiam cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, & S.R.E. Cardinales,ſublatâ eis , & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate , & authoritate , vbique indicari, & definiri debere , necnon irritum , & inane , ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Ipſe etiam Farinacius , ex quo iſtas deciſiones citat Bonacina *p.*4.*conſ.*54.*num.*24. *verſu quia ſtipulatio,* habet , quòd ſocietas , in qua capitale ſaluum ſeruatur,dicitur vſuraria, vt refert Barboſa *in Collectaneis,in caput per veſtras,num.*8.

Reſpondent alij , & cum ipſis Ludouicus Bail, hac Bullâ Sixti V. non damnari iſtas aſſecurationis capitalis & lucri pactiones , tanquam iure naturali vſurarias, ſed tanquam de vſura ſuſpectas, ac proinde iure Eccleſiaſtico meritò prohibendas , idque maximè in fauorem pauperum,vt Bulla loquitur ; vnde non aliter, aut alibi, quàm vbi promulgata , &

recepta fuit Bulla obligare poteſt. Sed hæc reſponſio ipſis Bullæ verbis facilè euertitur; cùm enim diuerſæ circa ipſas pactiones hinc inde ſententiæ vigerent, vt aliqua certa eſſet circa illas regula: primò eas tanquam vſurarias quantùm ad doctrinam damnauit: deinde illas quantum ad diſciplinam prohibuit; licet autem his verbis vtatur: *Damnamus, & reprobamus omnes, & quoſcunque contractus, conuentiones, & pactiones poſthac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu per quas*, &c. Et paulò poſt: *Statuimuſque, hujuſmodi contractus, conuentiones, & pactiones vſurarias, & illicitas poſthac cenſeri debere.* Licèt, inquam, hac particulâ, *poſthac*, vtatur, ac proinde videatur tanquam ius poſitiuum inducere, non verò ius naturale declarare; attamen certum eſt, Pontificem iſtas omnes pactiones tanquam iuri naturali contrarias damnare: ideo autem nihil de tempore præterito exprimit, tum quia ab aliquibus authoribus antea vt licitæ propugnabantur, tum quia cum nouas pœnas iure Eccleſiaſtico inducat, non decebat eas in præterita tempora extendere, cùm certum ſit, leges, & conſtitutiones futu-

ris

ris dare formam negotiis; ad præterita verò facta non trahi. Sed vt perspicuè mens ipsius Pontificis cuique pateat, audiat quibus occasionibus motus sit ad illam Bullam edendam; ait enim initio Bullæ: *Irrepit enim versutè, & callidè antiquus humani generis hostis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines quæstus dulcedine captos, ac delinitos opprimit, atque eò perducit, vt seipsos in vsurarum voraginem, Deo, hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam, & christianæ charitati contrariam, fœdè immergant, & dum vanas, & terrenas diuitias quærunt, veras, ac cœlestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audiuimus, hoc malum in quasdam prouincias peruasisse. Nam multi speciosum, & honestum societatis nomen suis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quasi colore, & fuco mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis personis, super eorum mercibus, officinis, tabernis, pamariis, aliisque rebus, ac bonis pecunias suas, aut alias res societatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis, dant in societatem, siue ad soccidam*

dam(vt vocant) eâ conditione, vt ſors ipſa, ſeu caput, quòd vulgò dicitur capitale, tam pecuniarum, quàm animalium, & rerum, ſaluum ſemper, & integrum exiſtat pro eo, qui non induſtriam, aut operas, ſed pecunias, animalia, aut res hujuſmodi in ſocietatem confert, vtque omne periculum, & damnum ab altero ſocio recipiente ſuſtineatur, contra æquitatem, & ſocietatis Iuſtitiam diuerſimodè paciſcuntur. Et infrà: *Simulque etiam certam lucri quantitatem, & ſummam veluti tot pro quolibet centenario, in ſingulos annos, vel menſes, per alterum ſocium, durante ſocietate, ſoluendam, præfiniunt, ac præſcribunt.* Nunquid hæ voces tibi tantum jus poſitiuum ſonare videntur? Profectò quiſquis eas expendet, ius naturale, & diuinum in eis obſeruabit: vnde iis amplius non immorabor; ſed nunquid Bulla tantùm in fauorem pauperum edita tibi videtur? Fateor enim, quod præcipuè has vſurarias pactiones circa pauperes deteſtetur; abſolutè tamen eas prohibet tanquam vſurarias, etiamſi cum mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis perſonis celebrentur, vt Bulla loquitur.

F CAPVT

CAPVT VII.

Argumenta ex SS. Patribus.

EOdem ordine Patrum authoritates adducam, quo Conciliorum canones, & decreta ſummorum Pontificum ſuperiùs propoſui. Primò itaque ea loca proferam, quæ euincunt omne lucrum ex pecuniâ lege diuinâ omnibus prohibitum eſſe: vt appareat, hanc fuiſſe communem ſententiam Eccleſiæ longè ante Alexandrum III. Et ne prolixitas tædium pariat, omittam authoritatem Cypriani *lib. de lapſis, circa principium,* & *lib.* 3. *teſtimoniorum ad Quirinum, cap.* 48. Lactantij *lib. de vero cultu, cap.* 18.

Probatur ex Auguſt. in Pſalm. 36. *Si fœneraueris homini, hoc eſt, ſi mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus, quàm dediſti, expectes accipere, non pecuniam ſolam, ſed aliquid plus, quàm dediſti, ſiue illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud, ſi plus, quàm dediſti, expectes accipere, fœnerator es, & in hoc reprobandus, non laudandus,* Ex

Ex Ambr. *cap.* 15. *lib. de Tobia*, post multa denique ait: *In Leuitico præscripsit etiam lex, vsuram à fratre non esse poscendam; sic enim habes, & viuet frater tuus t.cum, pecuniam tuam non dabis illi in vsuram, & in amplius accipiendum non dabis illi escas tuas. Generaliter hac sententia Dei omne sortis excludit augmentum: vnde & Dauid benedictum æstimauit, & dignum habitatione cœlesti, qui pecuniam non dedit ad vsuram: Si ergo qui non dedit, benedictus, sine dubio maledictus, qui ad vsuram dedit. Cur ergo maledictionem potiùs eligis, quàm benedictionem? Potestis enim benedicti esse, si velitis, potestis iusti esse: homo enim iustus secundùm Ezechiel est, qui pignus debitori reddiderit, qui & pecuniam suam in vsuram non dederit, & superabundantiam non acceperit, & ab injustitiâ auerterit manum suam; iustus est, inquit, iste, vitâ viuet, dicit Dominus. Qui autem pignus non reddidit, & in simulacra apposuit oculos suos, iniquitatem fecit, cum vsura dedit, & superabundantiam accepit, hic vitâ non viuet. Omnes iniquitates istas fecit, morte morietur, sanguis eius super ipsum manet. Vide, quomodo fœnatorem cum idololatria copula-*

uit, quasi crimen æquaret. Hæc Ambrosius.

Ex Basilio itaque in Psal. 14. in illa verba: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, Ait Propheta perfectum planè hominem eum, qui ad vitam illam ascensurus sit. Nullam vnquam exagitandam intemperiem describens, inter eius præclarè, ac fortiter facta illud quoque enumerauit, vt argentum sine fœnore daret, quod vtique vitium in plurimis Scripturæ locis vituperari videtur; nam Ezechiel in maximis ponit malis fœnus, & plus quàm sortem accipere, & lex illud luculenter prohibet dicens:* Non fœneraberis fratri tuo, & proximo tuo. *Et rursus ait:* Fœnus super fœnus, & dolum super dolum. *Et de ciuitate in multitudine malorum deprehensa quid ait Psalm. Et non defecit de plateis eius vsura, & dolus.* Licet autem hic præcipuè contra eos, qui pauperes vsuris opprimebant, stylum vertat Basilius; omnem tamen supra sortem superabundantiam indistinctè damnat, siue à pauperibus, siue à diuitibus, siue à mercatoribus exigatur, quod ex eius verbis perspicuè patebit; ait enim paulò infra: *Qui pecunias accipit, primò quidem splendidiùs, & totus prægestiens conspicitur, ac solito*

ſolito illuſtrior, idque commoditate interim ſuffultus æris alieni, ac immutationem vitæ declarans, menſa indulgentior, veſtis pretioſior, famuli illuſtriore habitu immutati, adulatores conuiuæ velut veſpæ, ac fuci ædium innumeri concurrunt, &c. Addit etiam: *Quanquam videmus ſæpe homines ad fœnus, & mutuum confugientes, non gratiâ vſus neceſſarij, ſed vt ſe elocent, ac tradant totos laxioribus impenſis, & profuſioni opum prorſus infructuoſæ: & hæc quidem dixerit: Mihi opus eſt veſte ſumptuoſâ & auratâ, filiis paruis ornatu decenti, ſeruis item floridis, & variegatis veſtibus; menſâ denique lautitiâ ſplendidiore.* Hæc-ne, amabo, verba ſunt pauperum, an diuitum? Nonne hic enumerantur mutua, quæ cum diuitibus contrahuntur? Et tamen quidquid ſupra ſortem ab iis exigitur, Baſilius tanquam vſurarium damnat; cùm tamen pecuniam dantes, eo omni, quo poterant, titulo lucrari intenderent: & ne putes, mercatores, aut negotiatores excipiendos, vt potè qui acceptis pecuniis ad rem familiarem augẽdam prouidè vtantur: Audi eundem Baſilium ipſos etiam mercatores ab accipiendâ fœneratitiâ pecuniâ

deterrentem, ait enim: *Canes accipientes mansuescunt, fœnerator verò accipiens irritatur, non quiescit allatrans, sed plura expetit: si iuraueris non credit: quæ in ædibus habes, diligentiùs perscrutatur: tua commercia, & negotia curiosius vestigat.* Audis Basilium commercia, & negotia commemorantem: & ne vlteriùs effugium quæras, putans hic agi de eo, cujus res, & negotia in aliquem necessitatis statum rediguntur, audi eundem paulò infra: *O quanti aliena bona perdiderunt! Quanti velut in somno ditati in ærumnas, pœnasque maximas se se conjecerunt! Sed multi, inquis, ex sumpto fœnore diuites facti sunt: plures ob hoc magis puto se laqueis implicuerunt: hic diuites factos respicis; eos verò, qui sibi fauces præfocauerunt, non numeras.* Profectò vides, Basilium hic de mercatoribus, & de iis, qui ex pecuniâ acceptâ diuites facti sunt, mentionem facere; cùm tamen eos, qui pecunias dabant, fœneratores, & vsurarios appellet, & tanquam vsuræ reos damnet.

Denique expresse contra tres contractus probatur, &, ni fallor, clarissimè, & citra omne effugium ex Ambrosio, cujus

cujus authoritas habetur in decreto Gratiani 14. *quæst.* 3. *cap. plerique*; sed vt Ambrosij mens clariùs pateat, ex ipso fonte locum proponemus, locus iste habetur in libro de Tobia, cap. 14. *Non nouum, nec perfunctorium hoc malum est*, inquit, *quòd veteris, atque diuinæ præscripto legis inhibetur. Populus, qui despoliauerat Ægyptum, qui pede transierat mare, monetur à fœnoris pecuniâ cauere naufragia, & cùm de aliis peccatis semel, aut multùm iteratâ admonitione præscripserit, de fœnore sæpius intimauit.* Deinde Ambrosius numerat Scripturæ loca, vbi vsura prohibetur, & postea addit: *Audistis fœneratores, quid lex dicat, de qua dixit Dominus*: Non veni legem soluere, sed adimplere. *Quam Dominus non soluit, vos soluitis.* Et infrà: *Vides, quantum pondas in verbis sit mali*, inquit, *exigere vsuram à fratre tuo, hoc est, cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu vsuram exigis? Frater tuus consors naturæ, & cohæres gratiæ.* Et infrà: *Plerique refugientes præcepta legis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecuniâ vsuras exigunt, sed de mercibus eorum, tanquam vsurarum emolumenta percipiunt, ideo au-*

*diant , quid lex dicat:*Neque vſuram, *inquit* , eſcarum accipies , neque omnium rerum , quas fœneraueris fratri tuo : *Fraus enim iſta , & circumſcriptio legis eſt, non cuſtodia* , &c. *Et eſca vſura eſt,& veſtis vſura eſt, & quodcunque ſorti accidit, vſura eſt. Quod velis ei nomen imponas , vſura eſt , ſi licitum eſt , cur vocabulum refugis , cur velamen obtexis ? Si licitum non eſt , cur incrementum requiris?* Hæc Ambroſius. Nihil hoc loco ad rem noſtram clarius adduci potuit , in quo obſerua primò, Ambroſium ex Scriptura damnaſſe quidquid ſorti accidit. Secundò, cùm aliqui in fraudem legis non pecunias à mercatoribus,ſed quaſdam merces exigerent , eos prorſus vſuræ reos cenſuiſſe , quantumvis non carerent aliquo titulo ex iis , qui nunc in fictis , & palliatis ſocietatibus prætexuntur , cùm darent pecuniam mercatori,acconſequẽter ei,qui rem familiarem inde augebat. Præterea non deerat animus lucrandi , quocunque titulo id fieri poſſet , nec etiam deeſſe videbatur virtualis hodierna ſocietas : vnde licitum videri poterat aliquid vltra ſortem exigere. Tertiò Ambroſium omnia iſta auaritiæ effugia

damnaſſe

damnasse, nec aliter appellasse hoc lucrum, quàm vsuram, vanaque ista diuerticula irridendo dixisse: *Quod velis ei nomen imponas, vsura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis?* Quisquis profectò hunc Ambrosij locum bonâ fide expenderit, hodiernas omnes fictas societates, quæ tanto æstu ab aliquibus propugnantur, damnari perspicuè intelliget. Vnde ipsa Glossa *in illud caput plerique*, 14.*q*.3. in nostram sententiam venit; ait enim in notula (negotiatoribus.) *Videtur, quòd si quis pecuniam suam dedit negotiatori, vt inde emat merces, & det sibi partem lucri, illud sit licitum, quod non concedo, si periculum spectet ad recipientem, vt fit inter eos contractus mutui; sed si per illa verba societatem contrahunt, & tunc periculum spectat ad vtrumque, tunc bene licitum est, quòd vnus socius det pecuniam, & alter suppleat laborem, quid cest in pecunia.* Vides, quòd Glossa contrariam prorsus sententiam euertat, nostramque ex germana Ambrosij intelligentia astruat.

CAPVT VIII.

Argumenta ex Iure Ciuili Romano.

PRobatur ex Iure ciuili, & primò quidem ex *l. si non fuerint, ff. pro socio*; sic autem lex habet: *Si non fuerint partes societati adiectæ, æquas eas esse cōstat, si verò placuerit, vt quis duas partes, vel tres habeat, alius vnam: an valeat? Et placet valere: si modò aliquis plus contulerit societati, vel pecunia, vel opera, vel cuiuscumque alterius rei causâ.* Hæc habet lex. Vbi obseruandum est ex Accursio, & Gothofredo in hanc legem partes, de quibus agitur, siue adiectæ sint, siue non adiectæ, partes esse lucri, & damni; quasi adiectæ non fuerint societati, id est, si de iis conuentum non fuerit, æquas eas esse censendum est; si verò ita conuentum fuerit, vt alter duas, vel tres partes habeat: alter verò vnam tantùm, valebit pactum, dummodo ille in societatem plus pecuniæ, vel operæ, vel alterius rei contulerit. Qui verò nullam periculi, aut damni

damni partem in ſe ſuſcipit, nullam etiam lucri partem iuſtè percipere poteſt, vt obſeruat Accurſius, & Azo *in hanc legem.*

Neque obſtat id, quod in eadem lege habetur, his verbis: *Ita coiri ſocietatem poſſe, vt nullam partem damni alter ſentiat, lucrum verò commune ſit, Caſſius putat: quod ita demum valebit, vt Sabinus ſcribit, ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt; plerumque enim tanta eſt induſtria ſocij, vt plus ſocietati conferat, quàm pecunia, vt ſi ſolus nauiget, ſolus peregrinetur, pericula ſubeat ſolus.* Ex his verbis aduerſarij ad ſuæ ſententiæ præſidium ſic argumentantur: Poteſt totum damnum, & periculum in alterum ſociorum refundi, vt patet ex hac lege: ergo non eſt iniqua aſſecuratio capitalis, quâ totum periculum in mercatorem reijcitur. Idem etiam argumentum deducunt ex §. *in illa, lib. 3. inſtit. tit. de ſocietate*; ſed quantum hallucinentur circa vtrumque textum, vel mediocriter attendenti patebit, cùm non videant, iſtos textus in fauorem mercatorum, non verò in gratiam eorum, qui pecunias tradunt, editos eſſe; pactum enim, quo totum damnum in alterum

ſocium

ſocium refunditur; lucrum verò commune ſit, tunc demum valere dicitur, ſi tanta ſit opera, quantum eſt periculum, vel damnum, quod in alterum reijcitur: *Plerumque ſiquidem*, vt ait Lex, *tanta eſt induſtria ſocij, vt plus ſocietati conferat, quàm pecunia, putà ſi ſolus nauiget, ſolus peregrinetur, ſolus pericula ſubeat.* Nunquid, amabo, tradens pecuniam induſtriam adhibet? Num ſolus pericula ſuſcipit? Num peregrinatur, aut nauigat? Hæc profectò mercatoris onera ſunt, ratione quorum iuſtè, & licitè in alterum ſocium pecuniam tradentem totum periculum reijcere poteſt; quod etiam omnes ferè Iuris Interpretes obſeruauerunt, vt poſtea dicam in ſolutione ſimilis textus petiti ex. 3. *inſtit. de ſocietate*, quem aduerſarij nobis obijciunt.

Probatur etiã ex §. *Ariſto, in eadem lege*, vbi ſic habetur: *Ariſto refert Caſſium reſpõdiſſe ſocietatẽ coiri non poſſe, vt alter lucrũ tantum, alter damnum ſentiret: Et hanc ſocietatem leoninam ſolitum appellare; Et nos conſentimus, talem ſocietatem nullam eſſe, vt alter lucrum ſentiret, alter verò nullum lucrum, ſed damnum ſentiret; iniquiſſimum enim genus ſocietatis eſt, ex qua quis damnum, non etiam lucrum expectet.*

In hac lege ideo hæc ſocietas leonina appellatur , quia leo , vt eſt in Æſopi apologo , communem ex venatione prædam ſic diuidebat cum vulpe, vt ſibi fermè totam retineret, vulpi verò vix minimam partem concederet. Quiſquis itaq; totum damnum in alterum reiicit, & totum lucrum in ſe refundit , ille proculdubio leoninam ſocietatem imitatur ; non enim aliter lucrum percipi poteſt , quàm ex aliqua communione damni : ergo vbi nullum eſt damnum,aut periculum,nullum etiam lucrum percipi debet. Cùm igitur in noſtro caſu dans pecuniã totum damnum , periculum, & onus in mercatorem reijciat,aliquam proculdubio leoninæ ſocietatis formam ſibi aſſumit ; quamvis enim totum lucrum non percipiat , totum tamen damnum in mercatorem reijcit : ac proinde ex hac parte leoninam ſocietatem imitatur : quod ſi diſpliceat nomen , voca vulpinam,ſi lubet , dummodo iniquam fatearis : nec profectò ex iſta appellatione minori odio digna erit ; vt enim ait Cicero 1. de officiis, *Vbi aut fraude ſit iniuria,fraus quaſi vulpeculæ , vis Leonis videtur ; vtrumque ab homine alieniſſimum , ſed fraus odio*

digna

digna maiore, Hæc, ni fallor, germana est impugnatæ societatis effigies, in qua qui pecuniam dat, totum periculum, totum onus, & totum damnum in mercatorem reijcit.

Probatur etiam *ex lege 52. cum duobus, §. damna, ff. pro socio*, vbi dicitur, *quod damna, quæ imprudentibus accidunt, hoc est, dãna fatalia socij præstare non coguntur.* Et §. quidam sagariam, in eadem lege, sic habetur: *Quidam sagariam negotiationem inierunt: alter ex iis ad merces comparandas, profectus, in latrones incidit pecuniam perdidit, serui eius vulnerati sunt, resque proprias perdidit.* Dicit Iulianus, *damnum esse commune, ideoque pro socio ratione damni partem dimidiam agnoscere debere tam pecuniæ, quàm rerum cæterarum, quas secum non tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas proficisceretur.* Et infra: *Proinde si naufragio quid perierit, cùm non alias merces, quàm naui solerent aduehi, damnum ambo sentiant; nam sicut lucrum, ita & damnum commune esse oportet, quod non culpâ socij contigit.*

Probatur iterum *l. Titius, ff. de præscriptis verbis*, vbi sic habetur: *Titius Sempronio triginta dedit, pactique sunt, vt ex reditu*

reditu eius pecuniæ tributum, quod Titius pendere deberet, Sempronius præstaret; hoc fuit itaque pactum inter Titium, & Sempronium, vt ex reditu datæ pecuniæ tributum, quod Titius pendere debebat, Sempronius præstaret, cùmque dubium esset, quâ ratione contra Sempronium Titius ageret? Respondet Iurisco-sultus his verbis: Sed nec ipsius quidem sortis petitionem pecuniæ creditæ fuisse, quando si Sempronius eam pecuniam sine dolo malo vel amisisset, vel vacuam habuisset, dicendum, nihil eum eo nomine præstare debuisse. Vbi vides duplicem hodiernarum societatum iniquitatem damnari, cùm Sempronius sortem restituere non teneretur, si sine dolo suo, aut culpâ periisset: nec etiam aliquid supra sortem præstare cogeretur, si vana apud ipsum pecunia fuisset, hoc est, si sine culpâ suâ nullum ex eo lucrum obuenisset; cùm tamen nunc & ipsum capitale saluum sit, licèt casu pereat; & præterea lucrum determinatũ debeatur, etiamsi nullus ex pecunia fructus prouenerit. Consulantur Paulus Castrens. Iason. Socin. qui huius legis in hunc sensum meminerunt, circa quam Gothofredus ex Cuiatio *consult.* 16. obseruat, quòd

ſentit,niſi ex pretioſiori alterius ſocij induſtria , & opera, ratione cuius alter ſocius duas lucri partes percipere potuit, & vnam tantum damni ; immo vt postea ſubiungitur,aliquando nullam damni partem ex tali induſtria , & opera ſubire tenetur : alioquin niſi ratione induſtriæ,aut pretioſioris operæ alterius ſocij duplex illa pars damni, quæ in alterum reiicitur , compenſaretur , profecto inæqualitas eſſet in pactione , aut diuiſione lucri , cùm alter duas lucri partes perciperet , nec niſi tertiam partem damni ſuſciperet : & magis alter oneraretur duplici ſcilicet parte damni;minus autem lucraretur , cùm tertiam tantùm lucri partem perciperet. Atqui dum mercator ſuſcipit pecuniam ab alio cum aſſecurationis pacto , non tantùm duplici parte damni , ſed toto damno oneraretur,cùm totum periculum , & totum negationis pondus ſuſtineat ; nec tamen ille,qui pecunias tradit , vllo ex capite onus illud compenſat;nullam ſiquidem induſtriam, nullas operas , nullas expenſas confert ; ſed hæc omnia in alterum refundit:igitur ex nullo capite , vel ipſam tertiam lucri
partem

partem percipere poterit.

Argumenta ex Iure Gallico.

PRobatur ex Iure Gallico,& primo ex Edicto Philippi IV. anno 1311. versùs finem : *Quia verò* , inquit , *ſunt plures,qui mutuant pecunias , alterius ficti contractus quæſito colore , vel contractus alios vſurariis mutuis grauiores frequentãt, euidenter in fraudem grauium vſurarum, huiuſmodi pœnâ eos proſequimur , atque ferimus , tales contractus vſurarios eſſe cenſentes.* Item à Poiſſy l'an 1312. *Nous declarons, que nous en l'ordonnance deſſus dite auons reprouué , & defendu , reprouuons , & defendons toutes manieres d'vſures de quelque qualité qu'elles ſoient cauſées, comme elles ſont de Dieu , & des Saints Peres defenduës. Nos autem tam ex Pontificum,& ſanctorum Patrum authoritate propoſitum caſum vſurarium eſſe demonſtrauimus.* Sed clariùs probatur ex Edicto Philippi VI. anno 1349. art. 20. *Item pourceque pluſieurs preſtent aucunefois deniers ſous couleur d'autres contracts feints en diſant , ou faiſant écrire contre verité , quele debte eſt dû par marchandiſe venduë:*

ou

ou font d'autres contracts, & fraudes, griefnes vsures, qui sont encore plus griefs, que ne sont prests à vsures, &c. Toutes manieres de tels contracts, & fraudes auons tenu, & tenons vsuraires, & les defendons, & voulons estre defendus; Et voulons tous estre punis de la peine dessus dite, qui seront contre nostre presente defence. Et adhuc clarius probatur ex Edicto Henrici III. anno 1576. *A nos amez & feaux les gens tenans Cour de Parlement en la Chambre ordonnée pour la recherche des vsures, desirans de tout nostre pouuoir extirper d'entre nostre peuple vn si pernicieux, & dommageable trafic, & faire venir en lumiere la verité du fait, & entremises desdites vsures. Nous mandons, & commettons, voulons, & nous plait, qu'incontinent, & sans delay vous ayez à faire defense par nous à son de trompe, & cri public par tous lieux, que vous verrez bon estre, à toutes personnes de quelque qualité, & condition qu'ils soient, d'exercer vsures par eux, par gens interessez, ny de prester deniers ou marchandises sous pretexte de commerce public, à interest, soit sur gages, par deguisement d'obligations, & contracts, ou autrement de s'entremettre du fait des vsures*

directe

directement, ouindirectemẽt en quelque sorte & maniere, que ce soit sur peine de punition corporelle.

Ex Edicto Blesensi art. 202. *Faisons inhibitions, & defences à toute personne de quelque estat, sexe, condition qu'elle soit, d'exercer aucunes vsures, & prester denier à profit, & interest, ou bailler marchandises à perte des finances par eux, ou par d'autres, encore que ce fut sous pretexte de commerce public, & ce sur peine la premiere fois d'amande honnorable, bannissement, & condamnation de grosses amandes, & pour la seconde fois de la confiscation de corps, & de biens. Ce que nous voulons estre semblablemẽt obserué contre les Proxenetes, les mediateurs, & entremetteurs de tels trafics & contracts illicites, & reprouuez.* Et obseruo quod duo vltima Edicta originẽ traxerunt ex decreto, seu Senatus cõsulto edito die 26. Iulij an. 1565. vt aduertit Petrus Guenois in corpore collationum Regiorum Edictorum. *Cette ordonnance de Henri* III. *& de Charles* IX. *est prise d'vn Arrest de la Cour du* 16. *Iuillet* 1565. *où il est defendu à toutes personnes de quelque qualité, & condition qu'ils soient, Marchands, ou autres, tant hommes*

que

que femmes, d'exercer vsures par eux, ou par gens interposez, de ne prester deniers sous pretexte de commerce public à interest, soit sur gages, ou autrement, sous peine de confiscation de corps, & de bien, & fut enjoint sous peine de cent Parisis d'en venir à reuelation, & de punition corporelle, par Arrest du 22. jour de Fevrier 1571. donné en audiance. Fut vne femme conuaincuë d'vsure, laquelle prenoit par escu deux Carolus par mois, & condamnée de faire amande-honorable, & estre bannie pour cinq ans. Obserua hunc vltimum casum à Senatu damnatum, frequentiorem esse apud plebeculam, & licèt qui dant nummum eo pacto, aliquid supra sortem accipiant, quia ex dato nummo alius lucratur, cum quo quandam virtualem societatem iniri posse volunt, profectò tamen vsuræ rei sunt, & tanquam vsurarij puniendi.

Nec ista iura diffitebatur laxioris Doctrinæ Apologista *pag.* 112. vbi fatebatur, ex Edicto Philippi Pulchri, & ex Edicto Ludouici XII. omnia lucra ex mutuo prohiberi, & reuerâ Ludouicus XII. omnes vsuras, & contractus palliatos, sub quibus latent vsuræ, prohibet: Immò

mò ibidem fatebatur Apologiſta, non poſſe nunc colligi lucra ex datâ pecuniâ quandocunque ſine peccato.

CAPVT IX.

Argumenta ex authoritate Theologorum.

PRobatur ex Doctoribus, & primo quidem Theologis. D.Thom. 2.2.*q.* 78.*art.*2.*ad* 5. noſtram ſententiam prorſus aſtruit, & contrariam deſtruit; cum enim quæreretur, vtrùm liceat pro pecuniâ mutuatâ aliquam commoditatem expetere? Reſpondet negatiuè, cúmque quinto loco taliter ſibi objeciſſet: magis à ſe pecuniam alienat, qui eam mutuando dominium transfert, quàm qui eam mercatori, vel artifici committit; ſed licet lucrum accipere de pecuniâ commiſsâ mercatori, vel artifici: ergo etiam licet lucrum accipere de pecuniâ mutuata. Sic reſpondet dicendo, *Quod ille, qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat, vnde ille, cui pecunia mutuatur, ſub ſuo periculo tenetur*

eam

eam restituere integrè : vnde non debet amplius exigere ille, qui mutuauit; sed ille, qui commisit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam non transfert dominium suæ peniæ in illum, sed remanet ita, quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur : Et ideo sic licitè potest partem lucri inde prouenientis expetere, tanquam de re sua. Vbi vides, D. Thomam legitimum lucrum ex societate ideo approbare, quia non transfertur dominium, cùm mercator de pecuniâ negotietur sub periculo ponentis eam.

Et D. Bonau. *tom.2. opusc. in opusculo, quod inscribitur speculum animæ, cap.2. in illo numero sic incipiente; tertius fructus principalis iniustitiæ est vsura :* Vbi post expositam expreſsè vsuram, varias species vsuræ tacitæ aſſignat, denique adjungit hæc verba : *Item est vsura tacita, cùm quis aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, & periculum vel damnum non est commune.*

Huc reuocari potest authoritas Sorbonæ; Doctores enim Parisienses multoties contrariam opinionem damnarunt, maximè verò in censura anni 1641. in

in qua multæ propositiones alicujus authoris improbantur, inter quas opinio trium Contractuum annumeratur, ibidemque dicitur, quòd Majoris Doctoris Sorbonici authoritate abutatur ille, qui hunc librum ediderat. Et in censura edita ann. 1658. aduersùs Apologistam Casuitarum, in qua expresſè eadem doctrina damnatur: denique in censura edita ann. 1664. aduersùs Amadæum Guimenium, vbi hæ propositiones cum aliquibus aliis reiiciuntur: *Mutuanti licitum est aliquid vltra sortem exigere ratione periculi, cui ea recuperanda exponitur. Si contractui societatis superaddantur contractus assecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horum licitum est exigere lucrum certum salua sorte.* Sic autem habet censura: *Doctrina harum propositionum falsa est, scandalosa, inducens ad vsuras committendas, variasque aperit artes eas palliandi, iustitiam, ac charitatem violandi, & à sacra facultate iam damnata.* Damnata etiam fuit hæc doctrina ab omnibus Episcopis Gallicanis, qui censuras ediderunt aduersùs Apologiam Casuitarum. Talis fuit censura: *Vicariorum Generalium*

lium Eminentissimi Cardinalis de Rets Archiepiscopi Parisiensis, cui addi potest censura Illustrissimi Archiepiscopi Senonensis, in qua ista societas cum duobus superadditis contractibus assecurationis capitalis, & venditionis lucri sperati cum aliis multis propositionibus ad vsuram pertinentibus his verbis improbatur. Tota hæc authoris istius circa fœnus doctrina multis paginis explicata diuinis, humanisque aduersùs vsuras legibus aduersatur, & Christianos ad illos malitiosis artibus eludendos erudit. Nec omittenda est censura Illustrissimi Episcopi Cadurcensis edita aduersùs eandem Apologiam anno 1659. in qua hæc Doctrina reiicitur his verbis: *Cette doctrine est fausse, scandaleuse, pernicieuse, contraire aux Loix diuines & humaines, induit à vsures, & suggere les moyens de la commettre.* Omitto alios Præsules tum doctrinâ, tum pietate præstantes.

Edidit etiam epist. pastoralem contra vsuras verè auream.

Richardus in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 5. circa medium: *Tertio modo contingit aliquid accipere vltra sortem*

quadrupliciter, vno modo quando capitale, & lucrum ponitur ſub certitudine, alio modo quando capitale ponitur ſub certitudine, & lucrum in fortuna. Tertio modo quando lucrum ponitur ſub certitudine, & capitale in fortuna. Quarto modo quando vtrumque ponitur ſub dubio, ita quòd non videtur magis in fauorem dantis, quàm accipientis. Primis tribus modis aliquid accipiens vltra ſortem tenetur ad reſtitutionem, quia contractus ſunt vſurarij, ſiue directè fiant, ſiue indirectè, explicitè vel implicitè, &c. *Quarto verò modo accipiens aliquid vltra ſortem reſtituere non tenetur.* Hæc Richardus.

Ex Ioanne Gerſone 4. *parte, ſermone contra auaritiam in medio*, vbi poſtquam damnauit varias auaritiæ ſpecies, ait, *Habere vaccas, & oues cum aliquo, & ad perditionem, & ad lucrum fieri poteſt; ſed omnes contractus claudicantes de ſe reprobati ſunt.* Vocatur contractus claudicans, cùm vna pars eſt in ſecuritate lucrandi quidquid eueniat; non autem alia, vt dare vaccam pro decem

cem solidis singulis annis, & semper vaccam restitui debere, etiamsi moriatur: vt dare decem francos pro centum in vno anno, & in fine anni centum francos.

Ex Syluestro *verbo dos, numero* 12. *versus finem*, vbi explicans *caput per vestras*, ait: *Ego dico, si capitale sit saluum, contractum esse vsurarium*: nec opinio prædictorum habetur ex dicto capite *per vestras*, sed potius oppositum, iuxta glossam, cùm nominat lucrum honestum, quod esse non posset, si esset vsurarium. Et verbo *societas, n.* 2. Secundò quæritur, vtrùm ponens pecuniam apud mercatorem, vel artificem per modum societatis, vel depositi possit saluo capitali lucrum percipere saltem ex pacto, & dico, quod non potest etiam sine pacto, cum intentione tamen principali, quod in omnem euentum capitale sit saluum. Et paulò infrà ait: *Idem sentit Baldus* l. 1. Cod. pro socio, *dicens, istum contractum sapere vsuram, nec esse societatis ex forma, quia est mutui, nec esse ex natura, quia est contra naturam societatis, quòd vnus habeat caput saluum, & alius fractum.* Et idem diceret sine dubio S.Th.

quia pro ratione assignat licitè percipiendi lucrum ex pecuniâ per modum societatis, quia stat periculo ponentis, & consequenter si non stat, non percipitur, nec excusat secundùm Archidiaconum periculum, cui pecunia subest apud alium, qui fugere potest, aut deficere, quia id lucrum non speratur ratione periculi, immò si de eo dubitaret, non poneret; sed ratione mutui, ex quo tamen non licet percipere lucrum, etiamsi periculum interueniat; vt expresse patet *in cap. nauiganti de vsuris:* non excusat etiam, quod depositarius, vel socius multum lucratur, quia lucrum fuit industriæ, non pecuniæ, & periculum amissionis incumbebat negotianti, & non deponenti: Si autem huic contractui accesserit pactum de salute capitalis, & parte lucri, quidam dixerunt, quòd licet, & valet ex vi pacti. Et infra: Theologi tenent contrarium & benè: quia tale pactum est contra naturam societatis, quæ est fraternitas, vt dictum est, de cujus natura est quod partes sint æquales.

Ex Caietano *tract. de septendecim responsionibus ad diuersa objecta, quæ pro Martini*

Martini Latheri assertione facere videbantur, *quæst*. 11. quam his verbis proponit: *An Petrus consignans centum florenos apud Paulum mercatorem, vt ei pro parte lucri capitali saluo assignet quinque florenos residuo lucri sibi rseeruato, licitè contrahat, & ad restitutionem illorum in foro animæ non teneatur.* Et post aliquam disputationem, in qua hos contractus simul initos damnat, licèt fateatur, societati iam initæ contractum assecurationis capitalis, & venditionem lucri sperati licitè superuenire posse, tandem sic concludit: *Satis patet ex dictis, quòd absolutè loquendo, in quæstione casus propositi, tam vt proponitur, quàm vt exponitur, injustum est sanè societatem iniri: & Petrum teneri in foro animæ ad restitutionem, si hujusmodi societatem cum Paulo de facto contraxit, quoniam eum iniquè grauauit, de facto conditiones vsurarias apponendo, capitalis salui, & lucri certi, vt manifestum esse puto ex dictis.*

Ex Dominico Soto *lib.6. de iustitia, & iure, quæst.8.art.2.* in quo quæritur, vtrùm licitum sit pecuniam in societatem exponere, saluo capitali, vbi postquam Majoris opinionem proposuit, & ipsius

Caietani distinguẽtis inter initam societatem simul cũ contractu assecurationis, & societatem,cui contractus assecurationis superueniat, sic ait; *At verò porrò ea est exiguitas ingenij mei, vt videre aliud in his contractibus non possim, quàm vsurarium mutuum, siue successiuè fiant, siue simul, neque distinctio hæc ad rem mihi quidquam referre videtur. Enimverò cùm simul fiunt, manifestum est mutuum; nam eo ipso quòd Petrus pecuniam tribuit Paulo, conueniturque inter eos de lucro,& quòd capitale sit Petro per eundem Paulum saluum, tunc, vt nuper dicebam, potest de illa pecunia Paulus disponere, ac si sua esset: putà prædia emere, dotare filiam,*&c. *Ergo verè fit Dominus pecuniæ; vbi autem pecuniæ dominium tali forma transfertur, verè mutuum est, atque adeo quidquid postea vltra sortem recipitur, vsurariam habet iniquitatem.* Ex quo patentissimè fit fallacia consequentiæ citati Doctoris, dum à pluribus arguit ad vnum; cùm enim vni trado pecuniam meam, & cum altero paciscor de assecuratione, neutri reuera mutuo; nam ille, cui trado,non tenetur mihi restituere, atque adeo non transfero dominium in seipsum; alter

verò,

verò, qui restituere tenetur, non recipit meam pecuniam. Quando verò in eandem personam ambo concurrunt, nempe quod idem ipse, cui pecuniam trado, obligatur mihi ad restitutionem, ex illis duobus oritur ratio mutui. Possum quidem conuenire cum illo de quantitate lucri, quia per hoc non transfero dominium; non tamen simul conuenire de seruando capitali. Ex hoc rursus palam colligitur, idem prorsus committi vitium, quanquam successiuè idem contractus cum eadem persona fiat. Nam etiamsi ante mensem, vel quodvis aliud tempus, societatem cum aliquo legitimè contraxi, numerando ei pecuniam meam mei ipsius periculo; quotiescumque tamen cum eodem de tuto capitali paciscor, in virtute transfero in ipsum dominium, atque adeo mutuo: quod non contingeret, si cum alio tertio eundem celebrarem assecurationis contractum.

Ex Toleto *lib.5. cap.3.* vbi de variis vsuræ palliationibus agit num.3. *Rursus si quis mutuat negotiatori pecunias, vt det ei aliquam lucri partem; tamen non subit periculum mutui, sed saluo capitali de*

lucro paciſcitur, vſura eſt, quam ſolent incurrere viduæ, & alij homines otioſi, qui volunt negotiari. Et cap. 31. n.4. in fine capitis: *Aliquando occultantur ſub titulo ſocietatis; aliqui enim ſolent dare pecunias ſuas alicui negotiatori, hac lege, vt det aliquam lucri partem; tamen pecuniæ ſemper manent integræ ſoluendæ, nec periculum ſubire volunt:* Iſta non eſt ſocietas, ſed mutuum, & vſura; non enim eſt ſocietas, cùm non eſt æquale periculum, aut lucrum, & talis vſura eſt, quæ committitur, cùm aliqui dant pecunias cambiatori, petentes lucrum, ſed nolentes ſe exponere vlli periculo capitalis pecuniæ: hæc ſunt exempla, ſolùm vt oſtendatur, quæ ſit vſura palliata. Nec obſtat quod Toletus infra *cap.* 41. *n.* 2. dicit: *Aduerte tamen hîc, quod contractui ſocietatis poſſunt adnecti alij duo, putà aſſecuratio quædam capitalis; ſicut enim vnus poteſt capitalis aſſecurationem cum tertio facere, ita poteſt cum ſocio dato iuſto aſſecurationis pretio, poteſt etiam locare fructus, & lucrum pretio conuenienti, vel aſſecurationem lucri facere.* Et ita ſentit Caietanus *opuſc.* 16. *quæſt.* 11. & infra: *Sed non videtur id negandum, dummodo,*

vt

vt Caietanus dicit, *non obliget socium ad tales contractus, sed liberum relinquat, sicut, & alium tertium.* Ibi enim intelligendus est Toletus de istis contractibus, qui societati iam contractæ superadduntur, quod patet tum ex illis verbis, *contractui societatis possunt adnecti alij duo:* tum eo quòd adducit Caietani opinionem contra Sotum; certum est autem, Caietanum non approbasse contractus istos simul cùm societate initos, sed tantùm successiuè celebratos.

Ex Armilla *verbo societas, num. 6. in medio* habetur: *Deponens pecuniam apud mercatorem cum intentione, vel pacto, vt saluo capitali aliquid lucretur, est vsurarius, quia hic est mutuum,* c. vsura 14. q. 3. & Ric. *in* 4. *sentent. d.* 15. nec excusat periculum, cui substat pecunia; quia lucrum non speratur ratione periculi mutui, ex quo non licet lucrum percipere, etiamsi peculum interueniat, vt patet expreſsè *in capite nauiganti, de vsuris.* Nec excusat, quòd depositarius mutuum lucretur, quia lucrum est propter industriam eius.

Ex Gabriele Biel *in lib.* 4. *sentent. dist.* 15. *q.* 11. *dubio* 10. qui ait: *Ratio autem quare hic licet accipere de pecunia negotia-*

tori, & non in mutuo, hæc est, quia in mutuo dominium transit in eum, qui mutuum recipit, vnà cum periculo: ideo si mutuans accipit lucrum, accipit illud de non suo; in societate verò dominium pecuniæ traditæ, & periculum manet apud socium: ideo si contingit lucrum, de suo lucratur, ex quo sequitur primò, quod si in contractu societatis fiant pacta, putà vt non seruetur dicta æqualitas: puta vt ponens pecuniam nihil sentiat de damno, aut minus ponens, plus recipiat de lucro; vel minus quàm parti suæ debetur, non est licita hæc societas, & tenentur restituere ea, quæ indebitè recipiunt, iis, qui fraudati sunt. Sententia est Angeli *verbo societas*, §.5 & 2. Sequitur, quòd si quis vellet capitale suum esse saluum, & tamen participare de lucro, quantum sociis placeret, non excusaretur ab vsura; est enim idem, ac si mutaret pecuniam, petens lucrum ex mutuo. Citatur etiam Sanctus Antoninus *2.p.summæ, tit.1.cap.7.* §.38. quem consulere non potui, quia ad manus meas non venit.

Plures alios Theologos adducere possem, quos omnes breuitatis causâ prætermitto. Videri potest Azorius *3.p. lib. 9. cap. 2. q. 5. & 6.* & *cap.4. diff. 3.*

Feli

Felicius *de societate , cap.19. n.27.* Arragonius 2.2. *q.78. art.1.versus finem.* Bannez 2.2. *q.78. art.4. de societ. dubio 1.* & alij multi.

CAPVT X.

Argumenta ex authoritate Canonistarum.

PRobatur ex Doctoribus Iuris Canonici, & primò ex Panormitano *in caput per vestras, de donationibus inter vir. & vxor.* & *in cap. nauiganti.* Et quidem primo loco, vbi cùm contrariam proposuisset, subiecit: *Ego non credo, quòd talis sit honesta, & licita societas, quoniam contingere posset, quòd ponens operam sentiret damnum in operis amissis, & in capitali pecuniæ quod est contra naturam societatis, cùm societas sit quædam fraternitas, l. verum, ff. pro socio.* Hæc autem societas esset potius leonina, *l. si non fuerint, §. Aristo.* Et infra, nec ista litera contradicit prædictis, cùm nihil dicat, vt capitale debeat esse saluum, nec est speciale in pecunia dotali, vt quidam somniarunt,

runt, quia etiam pro redimendis captiuis non licet fœnerari, vt *in cap. ſuper eo, extra de vſuris*. Quinimo textus iſte apertè dicit, vt capiatur pars de honeſto lucro, nec etiam credas, quòd licitum ſit à principio paciſci, vt habeat deponens decem pro centenario, vel aliam quantitatem, ſicut faciunt quædam viduæ credentes hoc eis licere, & ſolent aliqui ad defenſionem earum allegare textum iſtum cũ illa opinione Ioannis Andr. Certè hoc non eſt licitum, quia non licet ex pacto quantumcunque minimum capere ex pecunia, ſi non ſubijcit ſe periculo.

Poſteriore vero loco nempe *in cap. nauiganti*, ait: *Nota ſecundò, quòd occaſione mutui non poteſt recipi aliquid ex pacto, etiamſi mutuans ſuſcipiat in ſe periculum pecuniæ mutuatæ, & etiamſi mutuet nauiganti, vel eunti ad nundinas, qui exponunt ſe variis periculis, & vadunt cauſa lucri*. Et ſic nota bene, quod non eſt licitum recipere à mercatore, ex quo tu contrahis ſocium mutuum, licet ipſe recipiat vt lucretur; quia poſſet euenire contrarium, vt ipſe perderet ex mercimonio, & vſurarius eſſet in tuto, & ſemper lucraretur.

Ex

Ex Barbosa *in caput per vestras*, vbi postquam opinionẽ Nauarræ proposuit, ait: *Hic intellectus diuinatorius videtur, multaque supplet, quæ ex litera huius textus non colliguntur, nec hodie potest practicari, cùm post nouam Sixti V. constitutionem super assecurationibus editam, talis contractus cum eodem mercatore sit prohibitus, & vsurarius præsumatur.* Et infra n.8.inquit: *Notatur ad hoc, quòd societas, in qua capitale saluum seruatur, dicitur vsuraria*; vt per Farinacium *parte 4.cons. 54.* Nonne obseruas quid author iste sentiat circa *caput per vestras.*

Ex Doctore Palatios Rubios, qui librum integrũ edidit *in caput per vestras*, in illa verba textus, *vel saltem alicui mercatori committi, vt de parte honesti lucri, &c.* *in 2. ampliatione*, quæ sic incipit: *Ampliari potest secundò iste textus, vbi perspicuè nostram sententiam astruit, & opposita argumenta diluit.* Et tandem adhærens opinioni Conradi ait: *Concludamus ergo ex prædictis, quòd ponens pecuniã, vel aliquid aliud in societate, non potest pacisci, quod capitale sit saluum*: Et ad hoc allegat Gabrielem *in 4. sent. dist. 15. q.2. coll.24. ver.2.* sequitur: *Adducit præ-*

terea

terea ex Conrado authoritatem Sancti Bernardini in quodam ſermone dicentis, quod ponens pecuniam debeat recipere in ſe periculum totius capitalis pecuniæ, ita quòd ſi fortuna perdatur, vel caſu ſine culpa ſocij ponens operam ad nihilum teneatur.

Ex Conrado viro doctiſſimo *in lib. de contractibus, qu ſt.97.* vbi euidentiſſimè, & ex profeſſo noſtram ſententiam propugnat, cuius verba huc referre longiſſimum eſſet, pauca hæc decerpam, quæ poſt propoſitam, & fimatam ſuam ſententiam adiungit: *Quia*, inquit, *poteſt contingere, ſi aliud diceremus, quod ponens operam ſentiret damnum in operibus amiſſis, & in capitali pecuniæ, quod eſt contra naturam ſocietatis, quod vnus caput ſaluum habeat, & alius fractum: vt dicta l. Mutius. Cum ſocietas ſummam rationem habere debeat: quia inſtar fraternitatis eſt: iſta ergo ſocietas eſſet leonina.*

Ex Gofredo *in ſumma, tit. de vſuris, ad finem,* vbi ſic ait: *Vis dare pecuniam tuam nauiganti, vel eunti ad nundinas, ſeu alij mercatori ſine peccato, pone tu pecuniam, & alius operam, & communicentur pericula, & damna, & etiam lucra & commoda.*

Inſi

Infinitus essem, si omnium authorum verba huc adducere conarer, ideo eorum tantum nomina, & tractatus indicabo, ex quibus postea sententia peti possit. Hos consulet, quisquis voluerit, addam tantum expressa verba Baldi *in l.* 1. *Cod. pro socio*, *n.* 11. vbi sic ait: *Quæro quid de iis, qui mutuantur pecuniam ad negotiandum hoc pacto, quod capitale sit saluum, & si lucrum interueniat, diuidatur? Respondeo, iste contractus sapit vsurariam prauitatem, & ideo quidquid percipitur de lucro, extenuat sortem; non est enim hæc societas neque ex forma contractus, neque ex natura: non quidem ex forma, quia est contractus mutui, neque ex natura, quia est contra naturam societatis, quod vnus habeat capitale saluum, & alius fractum*, l. Lucius, ff. cõmodati, *& id, quod legitur, & notatur* extra de donationibus inter vir. & vxor. cap. per vestras, *debet intelligi, quod pecunia datur ad partem lucri & damni, quia tunc est contractus licitus.* Audis quid sentiat de *capite per vestras.*

Multorum aliorum authoritatem afferre possem, sed ne hoc opus iam satis prolixum in infinitum protendatur, illis omnibus supersedebo; poterit tamen eos

consu

consulere, quisquis voluerit; horum siquidem nomina, & tractatus suggeram. Videantur pro nostra opinione Ioannes de Ligni, Card. Ancho. Abbas, & Ananias *in caput nauiganti, de vsuris*, Salycet. *in authent. ad hæc, q. 14. Cod. de vsuris*, & *in l. Mutius, ff. pro socio*, Angelus *in tractatu de societate, q. 11.* Angel. de Aret. *in §. de illa, instit. de societate*, Lodou. Rom. *consilio* 258. Paulus Castrens. *cons.* 234. Laurentius *in tractatu de vsuris, 2. p. q.* 15. Archiepiscopus Florentinus 2. *p. summæ, tit. 1. cap. 7. §. 38.* Istud caput concludet authoritas Fagnani, viri doctissimi *in caput nauiganti, num. 28.* vbi habetur: *Declara secundò, Canonistarum opinionem, vt procedat in mutuo, prout loquitur hoc cap. non autem in contrahentibus societatem, quorum vnus ponit operam, alter pretium, quia,* vt inquit Bald. in l. 1. n. 36. C. de summa Trinit. *non est vsura, sed diuisio lucri industrialis: Et sic licet,* vt ait Gofredus, *communicantur commoda, & incommoda; Vnde ponens pecuniam potest habere partem lucri, dummodo pecuniam periculo exponat; ita vt sit particeps damni, & lucri*, cap. plerique 14. q. 3. *societas enim est quædam fraternitas*, vt l. verum,

primo

primo reſponſo, ff. pro ſocio. Et ita hic firmat Ioan. Andr. *n.3.in verſu mutuans,* & Butr. *num.6.*de quo latius per Calder. *in 2. q.n.28.* Et ex mente D. Th. *loco citato.*

CAPVT XI.

Argumenta ex Ratione deprompta.

PRobatur ratione. Ad ſocietatem ex ipſo Nauarro, Toleto, Sylueſt.& omnibus Doctoribus requiritur primò honeſta cauſa. Secundò vt pecunia ſtet ſub periculo ponentis. Tertiò vt lucrum diuidatur ſecundùm proportionem rerum collatarum, & onerum ſuſceptorum; ſed cùm tres contractus ſimul celebrantur, pecunia nunquam ſubeſt periculo ponentis, cùm eo pacto detur, vt integra reſtituatur, quocunque caſu fortuito pereat. Præterea non diuiditur lucrum ſecundùm regulas, & leges ſocietatis, hoc eſt, per quotas partes, ſeu proportionales; ſed per determinatas, dum ſcilicet quinque, aut ſex pro centum exiguntur, ſiue magnum lucrũ obuenerit, ſiue exiguum, ſiue

siue nullum ; immò quamvis damnum acciderit. Hæc omnia ex præsuppositis in fronte quæstionis clara sunt.

Probatur secundò : Pecunia non habet vsum distinctum à sua substantia cum vnico vsu consumatur , nec ex se fructifera est : ergo ad societatem dari non potest, nisi mercator tam suo, quàm conferentis pecuniam nomine negotietur ; sed in nostro casu illud non accidit, cùm dans pecuniam nullius periculi, damni , oneris, aut laboris particeps esse velit : ergo nec lucri particeps esse potest , cùm ex pecuniæ vsu, aut fructu nihil ipsi prouenire possit ; pecunia siquidem nullum fructum, aut vsum à substantia distinctum habeat , ratione cuius aliquid supra sortem exigi possit , sicut si aliquis equum , aut domum, aut agrum locaret, aut in societatem conferret.

Probatur tertiò : Societas institui non potest , nisi ex sociorum consensu ad societatem quis admittatur ; sed mercatores ad societatem non admittunt eos , qui pecuniam ponunt apud ipsos ; immò verò negotiorum suorum participes esse nolunt, pecuniasque acceptas ad libitum etiam extra negotiationem insumunt : ergo

ergo inter eos ſocietas non intercedit.

Probatur quartò: Ille, qui pecuniam apud mercatorem ponit, ſi ſupra ſortem aſſecuratam certum aliquid accipiat, iuſtitiam ex duplici capite violat: ergo talis contractus iuſtè fieri non poteſt. Probatur antecedens: Quidquid ſupra ſortem aſſecuratam certum exigitur, aut vſura eſt, aut iniqua lucri diſtributio: ergo ex duplici capite iuſtitiam violat. Probatur antecedens, & primò quidem quod ſit vſura, quia pecunia data cum pacto, vt integra reſtituatur, in mutuum tranſit, non verò in ſocietatem, cùm periculum eius ſtatim in mercatorem refundatur; dominium ſiquidem ad ipſum pertinet, ſub cujus periculo res conſtituitur; res enim Domino ſuo ſtat, aut cadit, perit aut parit: Mutuum autem illud eſt, per quod aliquid ita à me tibi datur, vt fiat de meo tuum; ſed quidquid ſupra ſortem exigitur ex ratione mutui, vſura cenſetur: ergo quidquid ſupra ſortem aſſecuratam exigitur, vſura eſt. Secundò verò quòd quidquid certum ſupra ſortem aſſecuratam exigitur, ſit iniqua lucri pactio, aut diſtributio, probatur: Ex ſocietate non oritur niſi

ius

ius ad futurum lucrum proportionale, & indeterminatum secundùm eorum proportionem, quæ quis ad societatem contulit, non verò ad determinatum lucrum: ergo pactio de certo lucro, aut ipsa certi lucri perceptio est iniqua, & contra societatis leges.

Probatur quinto: Qui pecuniam statim assecurauit, nihil ad societatem contulit: ergo nihil de lucro percipere potest. Probatur antecedens, quia nec periculum, nec onus suscipit, neque industriam aut laborem confert, nec expensas sustinet, nec naturalem pecuniæ vsum conferre potest, cùm eius incapax sit pecunia, nec vsum industriæ, cùm ille ad mercatorem pertineat, nec denique substantiam pecuniæ, cùm eius periculum subire recuset: ergo nihil ad societatem confert. Et præterea quamvis daretur pecuniæ substantia, non esset ius aliquid præter eam assecuratam exigendi, cùm sit quasi fundus sterilis, maximè cùm mercator non negotietur socij nomine, sed suo tantum, cùm omnes obligationes, & nomina in seipsum suscipiat, sicut & omnia alia onera.

Probatur sextò: Assecuratio capitalis,

lis, & lucri fieri non poteſt niſi per pacta ſocietati ſuperuenientia, & ſocietatem ſupponentia: quia non poteſt aſſecurari capitale, niſi periclitetur; non periclitatur autem, niſi pecunia iam ſocietati commiſſa ſit. Pariter fructus ſocietatis probabiliter futuri vendi non poſſunt, niſi ex ſuppoſitâ ſocietate ſperentur, quia ante initam ſocietatem pecunia mihi fructifera non cenſetur: duplex igitur iſtud pactum aſſecurationis capitalis, & lucri ſocietatem eſſentialiter ſupponit: ergo & eſſentiales ſocietatis conditiones ſupponere debet, nempe damni, & lucri communio: ergo ſimul iniri cum ſocietate non poſſunt; alioquin ipſas eſſentiales ad ſocietatem conditiones requiſitas ſecundùm omnes Doctores etiam ſecundùm Nauarrum, Laymanum, & Toletum præfocaret, anteuerteret, ipſiuſque ſocietatis ineundæ abortum procuraret, cùm ante ortum extingueret.

Nec dicas, hic præſupponi ſocietatem prioritate rationis, & naturæ, ac proinde & conditiones ipſius: circa quas tamen ille, qui dat pecuniam, per duplex aſſecurationis pactum ſibi cauet, & proſpicit. Sed hæc euaſio eſt mera, & futi-

lis

lis ſubtilitas , quæ etiam contradictionem inuoluit : quod vt clarè pateat, obſeruo breuiter ex principiis Philoſophiæ, quòd prioritas, & poſterioritas rationis, aut naturæ ſimultatem temporis , & durationis non excludit , quod hoc exemplo perſpicuum erit ; ſol enim eſt natura prior lumine , & radio à ſe diffuſo ; ſimul tamen tempore ſol cum ſuo radio, & lumine diffuſo exiſtit. Ratio autem à priori eſt , quia prioritas rationis,& naturæ non eſt prioritas durationis , aut temporis , ſed eſt quædam ratio ordinis, & cauſalitatis. Iam verò, vt ad noſtrum caſum redeamus , ſocietas cum periculo ſortis ſimul eſſe non poteſt cum duplici contractu aſſecurationis , cùm contradictio inuoluatur in eo,quod ſortis ſecuritas ſimul cum periculo exiſtat : ergo fieri nō poteſt,vt eodem inſtanti,quo initur ſocietas , contractus aſſecurationis celebretur ; nec obtrudi poteſt illa prioritas rationis , quæ ſimultatem temporis pati non poteſt , ac proinde quæ eſt mera fictio.

Probatur ſeptimò : Non poteſt inſtitui contractus aſſecurationis capitalis niſi ad impoſiti oneris compenſationem aliquid

detur

detur, aut ſaltem aliquid de lucro probabiliter ſperato remittatur; ſed nihil de lucro ad te pertinente remittere potes, niſi inita ſocietas præſupponatur; ac proinde niſi periculi, damni, & oneris ex datâ in ſocietatem pecuniâ particeps iam factus eſſe cenſearis: ergo non poteſt aſſecuratio capitalis inſtitui niſi præſuppoſitâ ſocietate cum cummunione damni, & lucri proportionaliter percipiendi.

Probatur octauò: Pactum aſſecurationis capitalis, & lucri ab initio celebratum omnem prorſus communicationem damni, periculi, expenſarum, induſtriæ, laboris,& cujuſcunque alterius oneris, à dante pecuniam abiicit, & remouet: ergo nihil eſt, in quo ſocius eſſe poſſit, cùm nihil fructiferum à ſe ad ſocietatem conferat, maximè cùm ipſam etiam pecuniæ ſubſtantiam ſub mercatoris periculo ponat.

Probatur nonò: Apud omnes conſtat, quòd ſi quis per ſimplicem ſocietatem intenderet ſocietatis fructum ex parte percipere, & nihil damni, aut periculi in ſe ſuſciperet, iniquus prorſus, & injuſtus cenſeretur: quia ſcilicet ſecundùm

dùm regulam iuris: *Qui sentit commodum, sentire debet & onus*; atqui per contractum assecurationis capitalis in eodem statu ponitur quis, in quo esset ille, de quo iam diximus: ergo iniustus pariter censebitur. Nec valet, si dicas, hoc mercatoris onus compensari, & hanc securitatem dantis pecuniam emi per aliquam remissionem alicujus partis lucri sperati; hoc enim nullatenus dici potest, tum quia nullum lucrum determinatum ex societate debetur, cujus pars remitti possit, sed tantùm proportionale, vt habetur ex Concilio I. Mediolanensi, & ex Bulla Sixti V. Vnde in hoc iam est iniquitas, quòd certum lucrum pacto determinetur. Tantum abest, vt ius illud ita sit iam quæsitum, vt aliquam eius partem quasi tuam remittere possis: & præterea non sufficienter mercatoris onus, in quem omnia pericula, & damna simul cum onere reiiciuntur, compensabitur, nisi totum lucrum ei remittas, in quem totum onus reiicis; ad eum siquidem totum commodum refundi debet, ad quem totum onus, & incommodum pertinet; si enim secundùm proportionem damni, & periculi, & oneris

ris ſuſcepti proportionalis lucri pars iure percipi poſſit, ita vt ex magno opere magna lucri pars, ex mediocri mediocris etiam lucri pars ſperari poſſit: ergo ex nullo onere ſuſcepto nulla lucri pars iuſtè percipi poteſt; nomine autem oneris hic intelligo, periculum, damnum, induſtriam, laborem, expenſas, & omnia, quæ ad ſocietatem promouendam, & gerendam facere poſſunt.

Probatur denique ratione à poſteriori: Si iſta pacta ſimul cum ſocietate ineantur, nullus amplius cum mercatoribus vſuræ locus eſſe poterit; ſed apud omnes ferè Patres, qui contra fœneratores ſcripſerunt, damnatur vſuræ etiam ille, qui mercatoribus pecuniam committens, aliquid vltra ſortem accipit, quod etiam ex multis Conciliorum canonibus, Pontificum decretis, Iuris Romani legibus, Denique Regiis edictis apertè colligitur: ergo iſta pacta ſimul cum ſocietate inita, ſuſpecta, immò & vſuraria cenſenda ſunt. Præterea ex iſta opinione Reſpublica, & præcipuè pauperes multùm læduntur, quia ſcilicet mercatores, & negotiatores merces ipſas cariùs vendunt, vt ſortem integram, quæ aliquando perire poteſt,

H cum

cum certa lucri parte restituant: vnde in ipsam Rempublicam, & in ipsos pauperes vsurarum onera reiiciunt, & prælterea ampla emolumenta percipere tentant: vnde necesse est, vt multùm pretij æquitatem excedant, & superent, tum vt se fœnore exonerent, tum vt familiam alant, & facultates augeant: nec hoc Respublica vitare potest, cùm omnes ferè mercatores istis oneribus premantur, & ex alienis pecuniis negotientur. Hinc enim fit, vt innumeris fraudibus merces adulterentur, & mendaciis, & perjuriis fallant: *Quis enim nesciat*, vt cum Tertulliano loquar, lib. de idololatria, *mendacium esse cupiditatis ministrum; si cupiditas abscedat, quæ est causa acquirendi, cessante causâ acquirendi, non est necessitas negotiandi.* Hæc Tertul. vnde etiam Ambrosius in lib. de Tobia, c. 14. ait: *Plerique refugientes præcepta legis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam vsurarum emolumenta percipiunt; ideo audiant quid lex dicat,* Neque vsuram, *inquit*, escarum accipies, neque omnium rerum, quas fœneraueris fratri tuo; *fraus enim ista, & circumscriptio legis est, non*

custodia,

custodia, & puta te piè facere, quia à mercatore suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium pretio, vnde tibi soluit vsuram. Fraudis illius tu author es, tu particeps: tibi proficit; quidquid ille fraudauerit. Et esca vsura est, quod velis ei nomen imponas, vsura est. Si licitum est; cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis? Si licitum non est, cur incrementum requiris?

CAPVT XII.

Obiectionum solutio.

SVperest, vt aliorum rationibus satisfaciamus: Et primò obiicitur nobis *caput per vestras, de donationibus inter vir. & vxor.* Sed illud caput in nostræ sententiæ præsidium *supra* adduximus, germanumque illius sensum posuimus: vnde nihil aliud circa hoc capnt dicemus, nisi quod ferè ex omnibus Decretalium expositoribus nostra sententia per illud caput magis confirmetur, quàm impugnetur; Et licet paucos excipiam; illi tamen longè ab istis nouis opinionibus absunt; nam Ioan. Andreas, eos pecu-

niam committere poſſe mercatori cenſet ea lege, vt aliquod lucrum ſupra ſortem aſſecuratam percipi poſſit in fauorem dotis tantùm, & matrimonij. Aliqui etiam idem in gratiam Eccleſiarum, viduarum, & pupillorum fieri poſſe putant; ſed eos Panormitanus, & alij Canoniſtæ impugnant: Immò ipſe etiam Nauarrus eos ex *cap. ſuper eo, extra de vſuris*, confutat, cùm neque etiam ad redimendos captiuos vſura permittatur. Hoſtienſis denique tales quidem aſſecurationes fieri poſſe putat; ſed excipit caſus fortuitos, quib. ſi ſors ipſa pereat, exiſtimat in conſcientia eius ſolutionem mercatori remittendam eſſe, dummodo eius culpa non pereat: ex quibus patet, quàm longè ſint iſti authores à laxioribus opinionibus, quæ nunc circumferuntur.

Obijcies ſecundò textum ex inſtit. deſumptum *lib. 3. de ſoci. §. in illa*, vbi habetur: *Adeo contra Quinti Mutui ſententiam cbtinuit, vt illud quoque conſtiterit poſſe conueniri, vt quis lucri partem ferat; de damno verò non teneatur, quod & ipſum Seruius conuenienter, ſibi fieri exiſtimauit: ergo licet* (inquiunt aduerſarij) *ex iſta lege aliquam lucri partem accipere, quamvis*

totum

totum damnum, & periculum in mercatorem reijciatur.

Respondeo, hunc textum nobis perperam obijci, cùm potius contra aduersarios faciat, vt patebit, si antecedentia verba legantur. Et reuera textus iste desumptus est ex *l. si non fuerint, ff. pro socio*, quam iam supra expendimus; sed ne vllus dubitandi locus relinquatur, germanam huius textus intelligentiam ex præcedentibus verbis deductam proponemus; habetur itaque ibi: *De illa sanè conuentione quæsitum est, si Titius, & Seius inter se pacti sint, vt ad Titium lucri duæ pertineant, damni tertia: ad Seium duæ partes damni, lucri tertia: an rata debent haberi conuentio? Quintus Mutius contra naturam societatis talem pactionē esse existimauit, & ob id non esse ratam habendā. Seruius Sulpitius (cuius sententia præualuit) contra sensit, quia sæpe quorundam ita pretiosa est opera in societate, vt eos iustum sit conditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat; Et tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpe opera alicuius pro pecunia valet; Et adeo contra Quinti Mutij sententiam ob-*

 tinuit,

tinuit, vt illud quoque conſtiterit poſſe conuenire, vt qui lucri partem ferat, de damno non teneatur, quod & ipſum Seruius conuenienter ſibi fieri exiſtimauit. Quod tamen intelligi oportet, vt ſi in alia re lucrum, in alia damnum illatum ſit, compenſatione factâ, ſolum quod ſupereſt, intelligatur lucro eſſe. Illud expeditum eſt, ſi in vna cauſa pars fuerit expreſſa, veluti in ſolo lucro, vel in damno: in altera verò omiſſa; in eo quoque, quod prætermiſſum, eandem partem ſeruari. Hæc Imperator. Nunquid animaduertis, locum iſtum in mercatoris fauorem tendere, penes quem induſtria, labori totum denique negotiationis onus reſidet; non verò in fauorem ponentis pecuniam, cùm ibi dicatur, quòd tanta poteſt eſſe ſocij induſtria, tam pretioſa opera, vt eum iuſtum ſit conditione meliore in ſocietatem admitti; nam ita coiri ſocietatem poſſe non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat: Et tamen lucrum commune ſit; quia ſæpe opera alicuius pro pecunia valet. Vides itaque ratione pretioſioris operę, & exquiſitioris induſtriæ alteri ſocio ius dari ad lucri partem, licèt totum damnum in alterum,

qui

qui pecunias ponit, reijciatur. Hanc expositionem ex ipso textu deducimus: quam etiam authoritate Panormitani, & ipsiusmet Couarruuiæ, qui aliunde in aduersariorum sententiam aliqualiter propendere videtur, confirmabimus. Hæc sunt Panorm. verba in cap. nauiganti, extra de vsuris: *Ego verò*, ait, *aliam do solutionem claricorem* (retulerat enim responsionem Calder. idē nobiscum sentientis, & hunc textum intelligentis de damnis, quæ in negotio societatis euenire possunt extra ipsum capitalis periculum) *Dico enim*, inquit, *quod ille textus procedit quoad ponentem operas; est siquidem licitum, & honestum pactum ex persona ipsius, vt ipse non sentiat damnum in operis amissis, & in capitali. Et ratio est, quia ipse sentit damnum in operis; nam tantum affert opera illius, quantum pecunia alterius, quinimo vt vbi textus ait, opera, & industria potest esse tanta, vt valeat pactum, vt ipse lucretur duas partes, & tertiam tantum habeat ponens pecuniam.* Hanc responsionem Panormitani Couarruuias *lib. 3. variar. resolut. cap. 2.* bis approbat *n.6.* sed quod pręcipuè notatum velim, ibi ipse Couarruuias hunc sibi

locum obijcit, & antequam soluat, ait: *Ea pactio, vt lucrum commune sit, damnum verò ad alterum pertineat, minime proderit, nec obtinet, vbi in ipsa negotiatione damnum, & lucrum accesserint; siquidem lucrum eo casu deduci non potest, quin priùs damnum deductum fuerit, cùm illud tantum lucrum sit, quod compensatione damni factâ liquidò superest: igitur is, qui lucri hoc pacto deducti, & liquidi partem consequitur, damni etiam particeps esse censetur, sic & cùm lucrum tantummode in societate contigerit, prædictæ pactioni locus non erit; cùm verò solum damnum acceptum fuerit, tunc ea pactio proderit; nam si mille aureos singuli socij in societatem, subsequutâ conuentione, quod ad alterum tantum damnum pertineat, lucrum verò sit commune, contulerint, nullumque lucrum supersit; immo verò damnum eueniat ducentorum aureorum, & societas dissoluatur, alter mille aureos, quos intulit, alter tantum octingentos habebit: vt explicat Theophil. Laurentius à Rodolphis, Calder. vt hinc deduci possit, pactionem illam de cuius meminêre Iurisconsulti, & Iustinianus, non pertinere ad societatem, quæ inita fuerit ex pecuniâ vnius, & industriâ alterius: quasi iniquum*

quum ſit periculum pecuniæ ad alterum, qui induſtriâ vtitur, pertinere; lucrum verò commune fore præſumitur. Etenium illam pecuniam mutuo dari eo pacto, vt mutuanti vltra ſortem detur pars illa dimidia lucri, quæ quidem pactio vſuram ſapit; non idem autem erit, vbi ſocietas fuerit contracta vtrinque collatâ pecuniâ, cùm in ea ſpecie verè contracta ſit ſocietas, nec mutuum præſumi rectè valeat. Egò ſanè, etſi ſciam in hac poſteriori ſpecie non ita contingere vſuræ præſumptionem, ſicuti in priori; opinor tamen, eſſe ſocietatem iniquam ob eam conditionem, quod lucrum commune ſit, damnum verò alteri tantum ſocio immineat, ſiquidem ea eſt leonina ſocietas, cuius meminit Iuriſconſultus in l. ſi non fuerint, ff. pro ſocio, ex *Æſopi apologo.* Hæc itaque eſt prima Couar. ad hunc locum reſponſio, in qua duo obſerua obiter: Et primò quidem iſtam conuentionem, quæ in ea ſocietate, in qua alter pecuniam, alter induſtriã confert, prætexitur, vſuram ſapere. Secundò verò, eam ſocietatem eſſe leoninam, etiam cùm vterque ſocius pecuniæ partem confert; eo tamen pacto, vt damnum alteri tantum immineat; lucrum verò ſit commune. Secunda

Responsio habetur *in eodem numero, versus finem, in sexta deductione*, vbi adducit Panormitani solutionem, & Ananiæ, de quibus loquitur his verbis: *Arbitrantur, pactionem illam à Iustiniano probatam, quâ actum sit inter socios, quod lucrum commune sit; damnum verò ad alterum pertineat, tunc procedere, cùm societas contrahitur inter duos, quorum vnus pecuniam, alter industriam exhibet in societatem: Et is, qui industriæ, & laboris operam daturus est, ab altero stipulatur, se liberum fore à periculo, & damno pecuniæ in societatem collatæ, lucri verò æquè participem: at si conferens pecuniam, id ab altero stipuletur, & in pactum deducat, illicitam esse pactionem opinantur, alienamque à mente Iustiniani, & Iurisconsultorum.* Et postèa subjungit: *Fateor equidem, hunc sensum maximè conuenire Iustiniano, & Iurisconsulto.* Hæc Couarruuias. Vides etiam ex aduersario duplicem nobis ad hunc locum responsionem suppetere: & licèt Couarruuias hunc textum sibi tantum objecerit, contra eam sententiam, quam ibi tuetur, scilicet non posse iniri societatem cum eo pacto, vt totum damnum ad alterum socium pertineat;

lucrum

lucrum verò commune ſit, & æqualiter diuidatur; prorſus tamen ad mentem noſtram hunc textum ſoluit: vnde mirari non poſſum, quomodo poſtea in ſententiam nobis contrariam defluxerit, cùm ferè omnes authores, quos in ſubſidium ſuæ ſecundæ concluſionis penè innumeros adduxit, noſtram ſententiam aſtruant, & tertiam ipſius concluſionem, in qua in aliorum ſententiam propendet, prorſus euertant, vt ego ipſe profectò diligenter obſeruaui, dum eos authores conſului, quorum libri ad manus venire potuerunt, ex quibus etiam aliquas huc authoritates adducere curaui.

Obiicies tertiò: Conſuetudo vſu recepta legem facit; atqui receptiſſima eſt conſuetudo, quâ tres contractus ſimul ineuntur, ipſis mercatoribus non reluctantibus, immò verò prorſus annuentibus; maximè verò cùm præter illam lucri partem, quam committenti pecuniam ſoluunt, rem familiarem multùm augeant.

Reſpondeo, nullam conſuetudinem contra legem naturalem, & diuinam præſcribere poſſe; vt enim ait Chryſologus: *Contra Deum, qui eſt author temporum:*

porum, tempora non præscribunt; Et Isidorus in synonimis, lib.2.*Vsus authoritati cedat, prauum vsum lex, & ratio vincat*: Vnde aiebat Constantinus ad Proculum, & habetur lib.8.Cod.tit. quæ sit longa consuetudo: *Consuetudinis, vsusque longæui non vilis authoritas est; verum non vsque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem; mala siquidem consuetudo*, vt ait Tertullianus, *vetustas erroris est*; nec dixit Christus: *Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas*; ad quem locũ etiam Cyprianus alludens in Epist. ad Pompeianum ait: *Sine veritate consuetudo vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequamur veritatem*. Quantum verò ad mercatores spectat, superius ex Tertull. & Ambr. sufficienter respondimus, cùm probauimus, mercatores non multum curare de istis oneribus, quia scilicet per fraudes, aut per iniqua pretia, aut per grauiores vsuras, quas aliis imponunt, sese in Rẽpublicam exonerant. Audiui enim à fide dignis, quod ipsi mercatores, qui pecunias accipiunt eâ conditione, vt quinque pro singulis centenariis supra sortem rependant, aliis easdem pecunias tradant eo pacto, vt octo pro

pro centum, & aliquando amplius vltra ſortem reddantur. Præterea quantumvis ex datâ pecuniâ multum lucrentur, lucrũ illud fructus eſt induſtriæ, non pecuniæ, maximè cùm ipſa pecunia ſtet ſub periculo mercatorum, nec debet committenti pecuniam lucrum communicari, niſi damni, & periculi particeps eſſe velit: alioquin leonina ſocietas contracta cenſetur, vt ſupra diximus.

Nec ad excuſandas excuſationes in peccatis vanam illam auaritiæ excuſationem proponas, quæ tibi profectò in accuſationem, & cõdemnationem vertetur: ſi antiqua, inquis, hæc conſuetudo, ſi frequentiſſimus iſte vſus nemini noxius, cuilibet tam danti, quàm accipienti vtilis prohibeatur, ruet commercium, & tota ferè Reſpublica perturbabitur. O laudabilem erga Rempublicam charitatem! quaſi verò aliorum damna tanquam ſua ſentiat, qui potiùs ex alienis damnis, & periculis diteſcere tentat, qui pericula aliis accumulat, vt ſibi lucra ſine periculo augeat, qui ex aliorum damnis ſibi emolumentum quærit, ex alienis periculis ſibi ſecuritatem parat, ex alienis laboribus ſibi quietem parit, ita vt totum illud

illud sibi parere velit, quod etiam totum aliis perire possit: *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Pecunia fœneratoris*, vt ait Ambr. *semper parit, & nunquam interit: oblatio blanda, sed immanis exactio; ipsaque oblationis humanitas exactionis sæuitiam profert: Et reuera aliorum emolumenta parum curant, quos damnis, periculis, expensis, laboribusque onerant, vt se onerent, securosque præstent.* Et vt sapienter monet Leo Magnus: *Impudens auaritia beneficium se dicit præstare, cùm decipit.* Vis audire, quàm noxia sit hæc consuetudo, quam tu danti, & accipienti vtilem prædicas: audi Basilium; *Iniqua prorsus*, inquit, *mutui datio vtrique danti pariter & accipienti; huic quidem in pecunias; illi verò in ipsam animam suam damnum, pœnamque afferens.* Et infra: *Sed multi, inquis, ex sumpto fœnore diuites facti sunt: Plures magis ob hoc puto se laqueis implicuerunt, tu diuites factos respicis; eos verò, qui sibi præfocauerunt fauces, non numeras.* Et paulò infra, vocat eos menstruos repetitores, velut dæmones, qui epilepticos faciunt, mutuatarios circa lunæ periodos inuadunt. Nec iterum dicas, commercium omne

euerten-

euertendum fore, si aliter res se habere debeat. Respondeo enim, melius esse, quòd commercium euertatur, quàm Euangelium. Præterea ante ista noua figmenta negotiatio feliciter exercebatur, sed quod valdè auaros angit, in eo positum est, quòd nulla tam secura, tam fructifera negotiatio esse possit, quàm vsuræ exactio.

Obijcies quartò: Licitum est de re dubia pacisci; contractus enim ex cõuentione legem accipiunt: ergo de periculo sortis, & de incerto lucro pactum iniri potest, quo de securitate capitalis, & lucri caueatur, maximè cùm id fieri possit cum tertio.

Respondeo primò, nullam rem dubiam siue circa sortem, siue circa speratum lucrum, de qua pacisci liceat, intercedere posse, nisi pecunia iam in societatem data sit, eiusque proinde legibus subiaceat, ac periculo substet; sic enim spes aliqua incerti lucri percipiendi licitè orietur: in nostro verò casu ista pacta simul cum societate celebrantur; ac proinde non adijciuntur rei dubiæ; sed potius per ea res certa fit, & indubia: Immò & societatis legibus, per quas & capitale

peri

periculo ſubiacet, & incertum eſt lucrum, ſubtrahitur.

Reſpondeo ſecundò, conuentiones, & pacta legem contractibus conſtituere, quando non ſunt contra naturam, ſed præter naturam contractus; iſta autem duo aſſecurationis pacta contra ſocietatis naturam ſunt, cùm natura ſocietatis in hoc poſita ſit, vt damna, & lucra communicentur; cùm igitur iſta pacta damni communicationem impediant, procul dubio ſocietati legem non faciunt, ſed necem afferunt, cùm eam aut violent aut perimant, vt ex obſeruationibus, quas ab initio præmiſimus patêre poteſt; nam contra ius fraternitatis eſt, quod lucra communicentur, non verò damna. Nec vlla periculi in mercatorem refuſi compenſatio fieri poteſt ex remiſſâ parte lucri ſperati, cùm lucrum non ſperetur niſi ex capitali periclitante: vnde ſi periculum ex pacto minuatur, ſpes etiam lucri minui debet; ſi vero totum periculum reijciatur, tota etiam ſpes lucri reijci debet. Et ratio à priori eſt, quia ſocietatis natura iuxta omnes authores, etiam Nauarrum, Couarr. Bonacin. Laym. dicit ex ſe communicationem damni, & lucri,

eri, cùm ius fraternitatis contineat, vt habetur ex *Lege cum duobus*, § *item ex facto*: Ergo ſi impediatur iſta communio, ita vt nunquam ſit, aut eſſe poſſit, ſocietas procul dubio impeditur, & præfocatur; iſta autem pacta aſſecurationis omnem iſtam damni, & lucri communionem auferunt, & impediunt: ergo ſocietatem prorſus perimunt, cùm ſint contra eius naturam.

Inſtabis: Depoſito, commodato, & locationi pactum adijci poteſt, vt depoſitæ rei periculum non ad depoſitarium pertineat, & vt periculum rei commodatæ non ad commodantem, ſed ad commodatarium, & periculum rei locatæ non ad locantem, ſed ad locatarium, ſeu conducentem ſpectet; res autem depoſita, commodata, & locata ad deponentem, commodantem, & locantem pertinet; cùm tamen Domino ſuo non periclitetur, contra naturam depoſiti, commodati & locationis: ergo à pari poteſt periculum pecuniæ apud mercatorem poſitæ in mercatorem reijci, licèt eius dominium ad ponentem pertineat.

Reſpondeo primò, quòd etiamſi hoc modo pecuniæ apud mercatorem poſitæ peri-

periculum in ipſum mercatorem reijci poſſet; non tamen ſufficienter hoc mercatoris onus compenſaretur, nec ſecuritas ponentis ſufficienti pretio emeretur, niſi totum lucrum ſperatum remitteretur; tota enim ſpes percipiendi lucri ceſſare debet, ſi pecunia periculo ſubtrahatur, nihil quippe licitè ſperari poteſt ex ipſâ pecuniâ, quæ ex ſe fructifera non eſt: nec ex ſocietate, cùm ipſa ſors principalis ſub ponentis periculo non ſtet, vt ſupponimus.

Reſpondeo ſecundò, pecuniam non poſſe apud mercatorem poni cum poteſtate ea vtendi, & cum obligatione totam reſtituendi, etiamſi caſu fortuito pereat, niſi pecuniæ dominium in mercatorem transferatur; quia ſcilicet pecunia ipſo primo, & vnico vſu conſumitur, cùm non habeat vſum à ſubſtantia diſtinctum; ſecus autem eſt in depoſito, commodato, & locato; res enim eadem numero ad deponentem, commodantem, locantem pertinet, licet periculum in alium reijciatur. Et ratio eſt, quia res non datur, vt conſumatur; ſed aut vt cuſtodiatur, aut vt quis ea vtatur, saluâ manente ſubſtantiâ;

ſtantiâ, quod profectò in pecuniâ apud mercatorem poſitâ non contingit; non enim mercator eandem numero pecuniã reddere tenetur, ſed aliam cuiuſdam generis,& qualitatis: vnde fit vt acceptam pecuniam à commercio extrahere, & ad alia negotia diuertere poſſit,cùm totum in ſe eius periculum ſuſceperit cum obligatione eam integram reſtituendi:Ex quibus omnibus patet diſparitas.

Reſpondeo tertiò,ad veritatis,& æquitatis abundantiam, maximum diſcrimen intercedere inter pacta aſſecurationis capitalis, & lucri ſocietati adiecta,& pacta depoſito, commodato,& locationi permixta: Illa ſiquidem contra ſocietatis naturam ineuntur: iſta verò præter depoſiti, commodati, & locationis naturam adijciuntur,vt latè iamiam exponam citatis legibus ad huius reſponſionis ſubſidium pertinentibus.Hîc tamen breuiter diſparitatis rationem à priori indicabo, quæ in eo poſita eſt, quòd pecunia ſocietati expoſita ponentis periculo ſubſtare debet ex ſocietatis naturâ, vtpotè quæ damni, & lucri communionem eſſentialiter contineat; ſocietas enim dicit commodi,& incommodi communicationem: vnde

vnde si totum damnum,& totum onus in mercatorem per pactum assecurationis refundatur,societatis natura perimitur.Et præterea si pecunia,quæ vsu,hoc est , ipsa communicatione, & mercium emptione consumenda est, sub mercatoris periculo statim ponatur, dominium profectò non retinetur , cùm vsus dari non possit retentâ substantiâ , sicut in commodato & locatione : Vnde mutuum contrahitur, ac proinde quidquid supra sortem percipitur , vsura est, cùm vsura sit lucrum ex mutuo. At verò pacta adiecta deposito , commodato, & locationi contra horum contractuum naturam non adijciuntur , licèt præter eorum naturam celebrentur, & ineantur ; non enim eorum naturam, sed connatur alia tantùm accidentia violant , vt supra obseruauimus ; quamvis enim connaturale sit deposito, commodato & locationi , quod res deposita , commodata, & locata deponenti , commodanti , & locanti periclitetur ; hoc tamen ad depositi , commodati , & locationis naturam necessarium non est , quia licet rei depositæ , commodatæ, & locatæ dominium ad deponentem,

com

commodantem, & locantem pertineat; nihil tamen obſtat, quominus periculum illud in alium reijciatur, ſiue ex datâ pecuniâ à deponente, ſiue ex gratuitâ voluntate commodantis, ſiue ex diminutione pretij locationis, ſiue denique ex aliquo interueniente pacto; licet enim cuilibet ſe à periculo eximere, aut onus in ſe ſuſcipere. Sed quidquid in pactum deducatur circa periculum rei depoſitæ, commodatæ, & locatæ; ſemper tamen manet eſſentia depoſiti, commodati, & locationis, cùm depoſitum conſiſtat in ſolâ cuſtodiâ rei alienæ; commodatum verò in gratuitâ conceſſione vſus rei, ſaluâ manente ſubſtantiâ; locatio demum in conceſſione vſus rei non gratuitâ, vt potè qui non niſi per pecuniam detur: remanet itaque illibata natura depoſiti, commodati, & locationis, licèt aliquid, quod connaturale eſt ex circumſtantiis mutari poſſit; non enim periculum rei depoſitæ, commodatæ, & locatæ ipſam depoſiti, commodati, aut locationis naturam ingreditur, ſicut ſocietatem ipſam, quæ eſſentialiter in mutuâ damni, & lucri communicatione conſiſtit, quæ proinde ſi perimatur ſocietas etiam perimitur.

Vrgebis;

Vrgebis: Species morales in hoc differunt à ſpeciebus phyſicis, & naturalibus, quod iſtæ formas ſuas fixas, & determinatas retinent; ſpecies verò actuum moralium, quales ſunt contractus innumerabiliter ex varia contrahentium voluntate, & conuentione variantur, maximè cùm contractus à mero beneplacito paciſcentium pendeant, talemque habeāt formam, qualem contrahentes habere permittunt; vt enim dicit Iuriſconſultus, & omnes concedunt: Contractus à conuentione legem accipiunt: ergo ſocietatem inſtituentes, quam volunt ei formam licitè, & validè pactis interuenientibus facere, & imponere, poſſunt, prout cuique vtilius, & commodius videbitur.

Reſpondeo, aduerſarios in æquiuoco verſari: verum quidem eſt quod ſpecies actuum moralium ex variis rerum circumſtantiis innumerabiliter varientur; retinent tamen ſuam eſſentiam, & naturam illibatam, licèt ex ſuis accidentibus, & ex infinitis concurrentibus rerum circũſtantiis, innumeris & variis contrahentium conuentionibus, ac pactionum formulis ſubiaceant, & infinities mutentur.

Sed

Sed quia aduersarij maximam vim in hoc argumento ponunt , quod exemplo depositi , commodati,& locationis confirmare solent : non abs re mihi visum est, si huius argumenti infirmitatem demonstrarem,aliqua obseruando,quæ tam huic rei,quàm toti quæstioni lucem maximam afferre poterunt.

Obseruo itaque primò,vnamquamque Contractus speciem quadrupliciter considerari posse , quod ex aliqua proportione , & analogiâ cum specie physicâ , meliùs innotescet;in homine V.G.considerari potest primò essentia,per quam in se constituitur. Secundò,proprietas,quæ ab essentiâ profluit. Tertiò accidens connaturale , aut pars ad integritatem , & decorem faciens. Quartò denique accidens commune , quod mutabiliter , & indifferenter adesse , & abesse potest : sic ratio est homini essentialis ; disciplinæ verò,& virtutis capacitas,quæ ex ratione profluit , proprietas censetur ; societas autem,ad quam homo ex natura propendet , est quasi accidens connaturale , digiti etiam, nasus,aut oculi sunt partes ad integritatem, aut decorem pertinentes : Denique calor , frigus , vestis , diuitiæ ;

pauper

paupertas,&c. sunt accidentia,sine quib. homo perfectus esse potest : quippe qui ad ea indifferenter se habeat : si itaque ratio quæ est homini essentialis, aut capacitas virtutis, quæ est eius proprietas, interimi aut abesse concipiatur, perimitur homo, dummodo ratio, & capacitas radicalis perimi concipiatur ; nam si desit virtus, quæ est secundùm naturam hominis, & adsit vitium, non euertitur quidem ratio, nec hominis natura perimitur, sed tantum violatur,dum scilicet aliquid contra rationis præscriptum perpetratur ; si autem homo societate, aut aliqua corporis parte integrali carere compellatur, aliquatenus quidem violentiam pati consebitur,& extra statum connaturalem esse existimabitur,licet ex honesto vitæ contemplatiuæ amore hominum societas laudabiliter vitari,& aliqua pars,putà manus, aut pes ad totius corporis incolumitatem, & salutem vtiliter amputari possit : si denique homo frigeat, aut caleat, diues sit aut pauper, hoc non multum ad connaturalis status mutationem facit. Iam vt hæc contractibus applicentur, in qualibet contractus specie quatuor consideramus, videlicet essen

essentiam, proprietatem, accidens connaturale: denique accidens commune, quod scilicet ex variis rerum circumstantiis indifferenter,& multipliciter ad contractum se habet: vnde ea pacta, quæ naturam contractus perimunt, contractum ipsum destruunt; quæ verò proprietatibus non quidem secundùm radicalem capacitatem, sed secundùm actum contraria sunt, licet contractum non perimant, illum tamen violant: illa autem pacta, quæ connaturalibus accidentibus aduersantur, vt plurimum violenta censentur; aliquibus tamen circumstantiis occurrentibus, honesta fieri possunt. Denique ea pacta, quæ accidentia indifferenter ad contractum se habentia, respiciunt innumerabiliter absque vllo contractus detrimento mutari possunt. Hic tantum monebo obiter, alias esse conditiones essentiales, seu substantiales contractibus ex Iure naturali, alias verò ex Iure positiuo humano: qualis est pręsentia Parochi cum duobus testibus, quæ ad matrimonij substantiam, & valorem pertinet, eas nos conditiones essentiales, quæ ex Iure naturali descendunt, potissimum attingemus; sed vt hanc doctrinam exemplo physico

declaratam in ipſis contractibus clariùs exhibeamus.

Obſeruo ſecundò, in omni contractu quatuor prædictas conditiones conſiderari poſſe; nos tamen in contractibus mutui depoſiti, commodati, & locationis, præcipuè eas obſeruabimus, maximè cùm aduerſarij ex his contractibus contra ſententiam noſtram argumenta deducant: In mutuo itaque V. G. duplex eſt ratio eſſentialis, prima quidem generica, quæ omnibus contractibus communis eſt; omnis ſiquidem contractus eſt duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus, vel conuentio, vt colligitur ex *l.* 1. *ff. de pactis*: ex quo conſenſu ſi obligatio ex vna tantùm parte oriatur, erit contractus latè ſumptus, qui cum pacto confunditur; ſi verò vltrò, citróque obligatio naſcatur, erit contractus ſtrictè ſumptus, qui ab Vlp. *l. Labeo, ff. de verborum ſignificatione*, cauſaliter definitur: *Vltro, citroque obligatio*; quia ſcilicet talem obligationem inducit; Et hæc eſt prima, & eſſentialis ratio mutui, ſcilicet generica. Secunda verò eſt ſpecifica, quæ ex multiplici capite deſumitur, & primò quidem ex materia, circa quam eſt mutuum,

tuum. Secundò ex effectu mutui. Tertiò ex obligatione, quæ ex mutuo nascitur: Ex materia quidem mutuum specificatur, cùm versetur circa res, quæ numero, pondere, & mensura constant, quarum vsus à substantiâ separari nequit, vtpotè quæ vsu consumuntur: seu, vt cum Iurisconsulto loquar, non quæ in genere suo functionem recipiant; mutuum enim damus recepturi non eandem speciem, quam dedimus, sed idem genus, *l. mutuum, ff. de rebus creditis.* Ex effectu verò mutuum conditionem specificam desumit, quia scilicet dominium rei mutuo datæ in mutuatarium transfert; dicitur enim mutuum, quia à me ita tibi datur, vt fiat ex meo tuum: Ex obligatione denique mutuum consequente aliam specificam conditionem depromit; res quippe mutuo data accipientis propria fit eâ conditione, vt alia res eiusdem naturæ, & qualitatis reddatur. Hæc omnia habentur *instit. lib. 3. tit. quibus modis re contrahitur obligatio*, & *l. mutuum, ff. de rebus creditis*; quæ etiam ex pluribus aliis eiusdem tituli legibus elici possunt: has autem tres conditiones ex materia, effectu, & obligatione desumptas mutuo specifi-

cas, & eſſentiales eſſe patet; ſi enim detur res, quæ vſum à ſubſtantia diſtinctum habeat, & quæ non conſiſtat in numero, pondere, & menſura, non erit mutuum, ſed commodatum, ſi gratis & vtenda detur, aut locatio, ſi vſus pretio concedatur, aut emptio ſi dominium pretio transferatur, aut donatio ſi gratis concedatur, aut permutatio ſi cum alia re permutetur: Nullatenus autem mutuum eſſe poterit: præterea quantumvis res, quæ vnico vſu conſumi conſueuit, alteri tradatur; ſi tamen deſit effectus mutui, nempe ſi dominium non transferatur, erit depoſitum, aut pignus, &c. Denique licèt rei vnico vſu conſumptibilis dominium transferatur, niſi oriatur in accipiente obligatio reddendi rem aliam eiuſdem naturæ, & qualitatis, non erit mutuum, ſed donatio; ſi nihil exigatur, aut emptio, ſi pretium ſoluendum petatur, aut permutatio, ſi cum re diuerſi generis permutetur, putà vinum cum oleo; non debet tamen eadem res numero reddi, ſicut in depoſito, aut pignore accidit, ſed eadem ſpecie. Hi, ni fallor, Characteres mutuo accidentales non ſunt, cùm ipſis mutatis natura

natura mutui perimatur. Iam ex his eſſentialibus conditionibus quædam veluti proprietates profluent, quas penitus ſine crimine violare non licet, ſi tamen violentur, non perimitur quidem mutuum, ſed polluitur : vnde ex materia mutui V. G. quæ vſum à ſubſtantia diſtinctum non habet, per neceſſariam conſequentiam deducitur, quod nihil vltra ſortem præciſè ratione mutui accipi poſſit; alioquin vſura committitur, quæ præcipuè dicta eſt, vel ab vſu æris ſecundùm Iſidorum *lib.5. originum.* Vel ab eo, quod ſit pretium vſus rei, quæ vſum non habet à ſubſtantia, ſeu à dominio diſtinctum; vſurarius enim fingit vſum, vbi non eſt vſus; licèt autem ex mutuo vſura exigatur; mutuum tamen non perimitur, nec in alium contractum tranſmutatur, ſed violatur, & quaſi polluitur. Ex effectu etiam mutui, quo nempe dominium transfertur, conſequitur, quod periculum rei mutuo datæ ad mutuatarium pertineat; res enim ſuo Domino perit, ſicut & fructificat : vnde licet caſu pereat, mutuatario perit, qui ſemper mutuanti obligatur. Has itaq; mutui proprietates ſi quis violauerit, mutuum non perimit, ſed polluit. Expo-

ſitis itaque in ipſo mutuo conditionibus eſſentialibus tam genericis,quàm ſpecificis, & proprietatibus ex iis conſequentibus, ſupereſt, vt aliquid de illis conditionibus dicamus, quæ connaturaliùs; & congruentiùs contractus comitantur; ex variis tamen concurrentibus circumſtantiis ſine contractuum euerſione, aut violatione, ſeu pollutione mutari aliquando, licèt rariùs poſſunt: quod vt clarius fiat,

Obſeruo tertiò, quòd cùm depoſitum V. G. ſit in gratiam ſolius deponentis,& commodatum è contra in gratiam ſolius commodatarij; locatio verò in gratiam locantis ſimul, & conducentis;ideo congruè,& connaturaliter iuxta horum contractuum naturam, depoſitarius nullam ciuilem culpam, ſiue leuiſſimam, ſiue leuem, ſiue etiam latam præſtare tenetur; ſed ex ſolo dolo obligatur: commodatarius è contra dolum, & omnem culpam ciuilem etiam leuiſſimam præſtare debet: At locatarius,ſeu conductor medio modo inter vtrumque ſe habens dolum,latam, & leuem culpam præſtare tenetur, non verò leuiſſimam; vt colligitur ex *l. ſi vt certo, ff. commodati, §. nunc videndum,*

vbi

vbi dicitur; *Quid veniat in commodati actione, vtrùm dolus, an & culpa, an verò & omne periculum? Et quidem in contractibus interdum ſolum dolum, interdum & culpam præſtamus, dolum in depoſito; nam quia nulla vtilitas eius verſatur, apud quem deponitur, meritò dolus ſolus præſtatur, niſi fortè merces acceſſerit; tunc enim vt eſt conſtitutum, etiam culpa exhibetur: aut ſi hoc ab initio conuenit, vt & culpam, & periculum præſtet is, penes quem deponitur; ſed vbi vtriuſque vtilitas vertitur, vt in empto & locato, vt in dote, vt in pignore, vt in ſocietate, & dolus & culpa præſtatur: commodatum autem plerunque ſolam vtilitatem continet eius, cui commodatur: Et ideò verior eſt Quinti Mutij ſententia exiſtimantis, & culpam præſtandam, & diligentiam.* Hæc ibi. Iſtas, fateor, conditiones ſine vlla contrahentium iniuria certis concurrentibus circumſtantiis mutari poſſe, vt patet ex variis locis è Iure petitis; tunc enim non fit contra naturam contractus, ſed præter naturam. V. G. ſi depoſitarius ex aliquo emolumento ad præſtandam culpam ſe obliget; ita vt ſi res depoſita pereat, ſuo damno pereat: Vnde *l.* 1. *ff. depoſiti*, §. *ſi conue-*

niat, dicitur: *Si conueniat, vt in depoſito culpa præſtetur, rata eſt contractus conuentio; contractus enim ex conuentione legem accipiunt. Poteſt pariter commodatario leuiſſima, aut leuis culpa remitti commodantis beneplacito, aut quia commodatum commodantis causâ celebratur*: vnde *l. ſi vt certo*, §. *interdum*, *ff. commodati*, habetur: *Interdum planè ſolum dolum in re commodata qui rogauit, præſtabit, vt putà ſi quis ita conuenit, vel ſi ſuâ dumtaxat cauſâ commodauit ſponſæ fortè ſuæ, vel vxori, quò honeſtiùs culta ad ſe deduceretur.* Multiplex etiam ex variis legibus *ff. locati, & conducti* authoritas deducitur, quâ conſtat conducenti à locatore culpam leuem remitti poſſe, aut ex beneplacito, aut ex maiori locationis pretio, ſicut è contra ex pretij exiguitate culpa etiam leuiſſima, aut ex aliquo periculo imminenti caſus fortuitus imponitur. Si quis V. G. equum locare nolit, timens, ne à militibus palabundis ſubripiatur; ſed breuitatis cauſâ textuum multitudinē omittam. Hæc ideo prolixius obſeruare volui, quia ſcilicet inde totius huius difficultatis elucidatio, & multorum, quæ nobis aduerſarij opponunt, argumentorum ſolutio deducetur.

Obiicies

Obiicies quintò: Quiſquis pecuniam ſuã apud mercatorem ponit, periculum amittendi capitalis ſubit, cùm multis diſcriminibus ſe, & res ſuas mercator exponere ſoleat: vnde aliquando accidit, vt vel naufragio, vel aliquo alio infortunio res omnes ſuas amittat, ac proinde ſoluendo non ſit, cùm nihil reſiduum habeat, quod reſtituat.

Reſpondeo primò, vt ait Plutarchus, de vitando ære alieno: *Egeno pecuniam nemo credit:* Vnde magnâ cautelâ, & diligentiâ mercatores conquiruntur, qui fide, diuitiis, & induſtriâ abundent, & polleant; immò ſæpe pecuniam ſuam pignoribus, & hypothecis ſibi ſecuram faciunt: vnde Ambroſius *lib. de Tobia cap.* 5. ait: *Vos dicitis creditores, qui non homini, ſed pignori crediſtis.* Et cap. 12. *Hypothecas fœnerator exigit, & in ſuas apothecas recondit.* Et lepidè canebat Martialis:

Cùm rogo te nummos ſine pignore, non habeo, inquis,
Idem ſi pro me ſpondet Agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri Thelefine ſodali,
Credis colliculis, arboribuſque meis.

Reſpondeo ſecundò, aliud eſſe periculum Iuris, aliud periculum facti: Periculum iuris eſt, cùm periculum ex obligatione, & pacto ſuſcipitur: Periculum verò facti eſt, cùm collata pecunia periculo committitur eo ipſo, quod extra manum ipſius conferentis ſit, ſiue caſu, ſiue culpâ, aut perfidiâ illius, cui commiſſa eſt, pereat: vno verbo periculum iuris ex contractu oritur; periculum verò facti ex euentu. Certum eſt autem, quod periculum facti non ſit legitimus aliquid ſupra ſortem exigendi titulus, cùm iſtud periculum ſit de ratione mutui, ac proinde ſicut ex mutuo nihil licitè ſupra ſortem accipi poteſt, ita nec ex iſto periculo, ex quo ſolum ius oritur ad cautionem, pignus, hypothecam, ſeu fideiuſſorem petendum, non verò ad aliquod lucrum ſupra ſortem expectandum; alioquin cùm Chriſtus maximè in gratiam pauperum vſuras prohibuerit, nihilque ex mutuo ſperari voluerit. *Date mutuum nihil inde ſperantes*. Latiſſimus ex hoc capite locus fœneratoribus pateret ad pauperes vſuris opprimendos, cùm ferè ſemper pecunia data apud eos maximo periculo facti ſubiaceat; ſæpiſſimè enim propter inopiam

piam impares ſunt ad ſoluendum quod mutuo acceperunt: Immò hic addiderim, Gregor. IX. declaraſſe illum vſurarium, qui nauiganti, & ad nundinas eunti pecunias dederat , eo pacto , vt aliquid ſupra ſortem acciperet propter periculum , non quidem facti , quod ex periculoſa nauigatione ſuſcipiebat , ſed propter iuris periculum, cui ſe obſtrinxerat ex pacto. Sed hæc ſuperiùs prolixius explicata fuêre , dum *c. nauiganti* ex Greg. IX. propoſuimus.

Obiicies ſextò : Contractus aſſecurationis capitalis , & lucri ſucceſſiuè fieri poſſunt cum ſocio : ergo & ſimul ; quod enim ſucceſſiuè ſocietati non repugnat , neque etiam cum ſocietate pugnabit , ſi ſimul fiat : hoc eſt illud celebre argumentum tanto aduerſariorum plauſu à Ioanne Majore acceptum, in quo totum robur opinionis ſuæ, & firmamentum ponunt : ſed quàm debile ſit iſtud robur, quàm infirmum iſtud firmamẽtum, quàm nutans iſtud fundamentum , cognoſcet quiſquis ad multiplices iſtius argumenti ſolutiones attendet.

Reſpondeo itaque primo cum Soto *lib. 6. de iuſtitia , & iure , q. 6. art. 2.*

cuius

cuius verba ſuperiùs attulimus, negando antecedens; non enim ſine fundamento putat nec ſimul,nec ſucceſſiuè contractũ aſſecurationis iniri poſſe cum ſocio,licèt cum tertio iniri poſſit, quia ſcilicet per contractum aſſecurationis ſocietas in mutuum transfertur; transferendo enim pecuniæ periculum in mercatorem, in ipſum quoq; dominium transfertur, cùm pecunia Domino ſuo ſtet, aut cadat,pariat aut pereat: hoc autem dici non poteſt, ſi contractus aſſecurationis cum tertio celebretur, quia ſcilicet ille non habet apud ſe pecuniam, cuius dominium ex periculo ſuſcepto in ſe transferat,ſed obligat ſe tantùm ad ſubeundum ſortis periculum, dummodo iſtud onus aliquo iuſto pretio compenſetur.

Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam, & primò quidem obiter moneo, non valere conſequentiam ab iis, quæ ſeparatim, & ſucceſſiuè fieri poſſunt ad ea, quæ ſimul fiunt: quòd manifeſto exemplo patebit; reſignatio enim beneficij, conceſſio penſionis reſignanti facta à reſignatario, & eiuſdem penſionis extinctio ſucceſſiuè fieri poſſunt; eodem tamen tempore fieri ſine ſimonia nõ poſ-

ſunt;

ſunt; quia tunc acquireretur beneficium, & reſignaretur per pecuniam, quod Iuri naturali, & diuino repugnat. Hoc tamen fieri poſſet, ſi vana aduerſariorum ſubtilitas admitteretur, cùm omni modo paritas in noſtro caſu interueniat: primò enim concipitur reſignatio, cui ſuperadditur penſionis reſeruatio, eiuſdemque penſionis extinctio. Quis autem, amabo, ſic argumentari poteſt: Reſignatio ſub onere penſionis, & eiuſdem penſionis extinctio ſucceſſiue fieri poſſunt: ergo & ſimul fieri permitti debent?

Præterea euidentem diſparitatem prófero inter iſtos contractus ſucceſſiuè celebratos, & eoſdem ſimul, & ſemel initos; nam dum ſucceſſiuè fiunt, veram ſocietatem iam exiſtentem efficiunt, cùm iam pecunia ſub ponentis periculo collata fuerit: ille autem, qui pecuniam poſuit, deinceps non prohibetur vtiles, & licitas vias inuenire, quibus poſſit ſe tali periculo ſubtrahere, & lucrum incertum per pactum determinare, maximè ſi cum tertio paciſcatur; ille ſiquidem ſecuritatem ſuam emere, & ſpem lucri vendere poteſt, vt ſibi prudenter proſpiciat. Sed cum ſimul fiunt iſti con-

tractus,

tractus, nunquam est societas, nec esse potuit, quandoquidem pecunia periculo nunquam exposita fuerit, nec dici potest, quod in priori naturæ, aut rationis pecunia sub ponentis periculo stare præsupponatur, cùm fingi non possit, quod aliquid etiam in priori rationis, aut naturæ existat, quod in nullo temporis instanti existit; in quo sæpe authores falluntur non distinguentes inter prioritatem naturæ, aut rationis, & inter existentiam rei. Prioritas enim naturæ, & rationis non infert quidem prioritatem temporis, sed non aufert existentiam in aliquo tempore: immò quæ dicuntur priora, & posteriora ratione, & natura, secundùm idem tempus conjunguntur, vt patet in sole & radio; sol enim est prior natura, quàm radius, simul tamen est tempore sol & radius: implicat autem, quòd id, quod non est in aliquo temporis instanti, prius, aut posterius ratione, aut naturâ dici possit. Quis verò non videat, pecuniam in nostro casu nunquam periculo subjacuisse, cùm omni tempore assecurata fuerint, atque implicet, vt pecunia securitati simul, & periculo substet, & subjaceat;

certum

certum itaque esse debet, societatem nunquam extitisse, cùm ponens pecuniam ne quidem per momentum sine securitate fuerit.

Obiicies septimò, & vltimò multorum Doctorum authoritatem, qui sententiam istam propugnarunt, quorum nomen, & doctrina apud omnes in æstimatione, & honore est.

Respondeo, hanc doctrinam præcipuè à Ioanne Majore Doctore Parisiensi profluxisse, quippe qui eam suo calculo præcipuè approbauerit: hunc sequutus Martinus Nauarrus, maximam illi authoritatem conciliauit; vterque tamen ante Sixti V. Bullam scripsit. Optabat quidem Nauarrus, vt summus Pontifex hanc sententiam sua authoritate firmaret; sed profectò res in contrariam partem euenit, cùm eam potiùs improbauerit: vnde si isti authores hanc Bullam vidissent, sincero sanè animo acquieuissent. Obserua tamen obiter, quanta fuerit hac in re multorum posteriorum temeritas, quanta priorum Doctorum animi moderatio; primò enim eam sententiam non tamen sine formidine Major admisit, vt mox patebit. Audacior fuit

fuit deinde Nauarrus , ſed poſteriores in effrænatam licentiam proruperunt : iſti enim authores oues imitantur , quarum priores formidoloſæ præëunt , poſteriores verò audaciores factæ ſequuntur præcipites. Maior itaque non ſine prudenti cautione eam proponit, *in 4. ſent. diſt. 15. q. 49. verſus finem* : vbi ſic habet: *Concludendo dico, contractum hunc non eſſe vſurarium ; nam ponens pecuniam manet verus ſocius : nec abdicat à ſe dominium ſuæ pecuniæ , ſed aſſecurationem pecuniæ conſeruandæ capit , ne in ſua manu pereat, & incertum lucrum pro minore certo vendit. Omnia enim iſta tam in ſocietate, quàm in aliis contractibus valent ; dat enim alteri putà pecuniam ſuſcipienti , optionem , an velit has duas conditiones ſocietati adjungere , an tenere regulas communes ſocietatis ? Ergo eſt bona fraternitas , quemadmodum ſi eſſent duo ponentes aliqua in communi , vt Sortes & Plato , & Plato ſemper daret Sorti optionem , eſſet bona fraternitas.* Ex his duo obſeruo : Primum quidem , quod Major non loquatur niſi de contractibus formaliter , & explicitè initis : Secundum verò , quod mercatori detur optio , & plena libertas , ex qua liberè

berè, & lubenter tales conditiones admittat. Et paulò infra idem Major sic habet: *Vna autem circumstantia est requisita ad hoc, vt contractus sit licitus; videlicet quod non capiatur vltra latitudinem iusti pretij in illis duabus conditionibus adiectis, siue dicantur contractus, siue non, putà quod alter sociorum libentiùs, vel saltem libenter (sed honestius est libentiùs) assecuret pecuniam ponentem, malens capere diminutionem lucri, & ponentem pecuniam assecurare, quàm oppositum.* Et paulò infrà ait: *Licet iste contractus sit licitus, provt existimo, vt multi alij sunt, non tamen in Sermone ad populum mercatorum aliquid super hoc dicerem; non enim nescius sum, quin à periculoso contractu abstinendum sit.* Et infrà: *Insuper si homines passim hunc contractum exerceant non ementes agros, vbi in competenti pretio inueniri possunt, vel non expectantes naturalia societatis de periculo, & damno: contra contractum est mala præsumptio: nam quare hunc contractum, aliis neglectis, exerceant?* Hæc Major, ex quibus patet, quanta cautione loquutus fuerit, cùm velit primò mercatores libentiùs has conditiones adiectas admittere, quàm commu-

communes ſocietatis regulas ſequi. Secundò, iſtum contractum eſſe periculoſum, ac proinde coram populo non eſſe proponendum. Tertiò, maximam eſſe vſurariæ prauitatis præſumptionem, ſi homines paſſim hunc contractum exerceant, neglectis aliis, quæ fructuosè occurrere poſſunt, vel ſi naturales ſocietatis conditiones de periculo, & damno ſuſcipere detrectent. Quartò, bono animo debere interuenire pactiones formaliter, & non tantum virtualiter cum plena & libera optione mercatori oblatâ: quæ profectò in hac Prouincia in vſu non ſunt.

Nauarrus autem licet in aduerſariorum ſententiam deſcendat, *in manuali Confeſſariorum de 7. præcepto, num. 254. & 255.* ſibi ipſi tamen *num.* 252. contradicit, cùm dicat: *At cùm alius pecuniam, alius operam, ſeu induſtriam ad ſocietatem confert, tota iactura pecuniæ erit eam conferentis, & tota laboris, eius qui eum ſubiit, ac induſtriæ eius, qui eam adhibuit quandocunque iactura obueniat, iuxta Bart. Bald. & S. Thomam. Quæ quidem opinio vera eſt, maximè in foro conſcientiæ iuxta Ang. & Sylu. tum quia alioquin pars pecu-*

niæ,

niæ, cui exoluendæ alius teneretur, à periculo libera esset quoad eum, qui contulit, & ita quoad illam partem mutuum non societas foret. Tum quia si in fine societatis lucrum esset, antequam diuidatur, qui pecuniam contulit, eam in primis accipere deberet. Vides ex Nauarro, quod pars pecuniæ, cujus periculum in mercatorẽ reiicitur, in mutuum transeat; Ergo si totius pecuniæ periculum in mercatorẽ refundatur, tota pecunia in mutuum transibit; ac proinde quidquid supra sortem accipietur, vsura consebitur, & erit. Sed clarius sibi ipsi contrarius est *lib.5. consiliorum, cons.* 13. postquam enim sibi proposuisset quæstionem his verbis: *Quidam contulit mille in societatem ei, qui conferret laborem, & industriam in exercenda mercatura lanæ, eo pacto, quod dimidium lucri cederet huic, & dimidium alteri: Et quod si eueniret, vt nihil lucri fieret, immò perderent prædicta millia, dimidium eorum redderet, qui ea suscepit: exercitâ societate, nihil periit de capitali, & lucrum diuisum est iuxta formam contractus. Quæritur primò, an qui contulit pecuniam, teneatur ad restitutionem illius partis lucri, quæ sibi cessit in foro conscien-*

tiæ.

tiæ. Et infrà ſic reſpondet : *Pro parte affirmatiua faciunt illa , quæ nos firma , ac ſolida ratione, & authoritate fundata ſcripſimus* in manuali Conf. *quibus infertur, contractum , de quo in caſu propoſito quæritur , eſſe illicitum , & iudicandum vſurarium , ſaltem quoad dimidium pecuniæ collatæ, quod manet ſaluum eam conferenti, & contrahentem teneri ad reſtituendum lucrum illi dimidio reſpondens ; cùm enim non poſſit iuſtificari niſi reducendo eum ad contractum ſocietatis : cumque contractus ſocietatis nequeat eſſe licitus, ſi ita ineatur, vt conferenti pecuniam ſaluum ſit capitale, ſiue ſors principalis , vel aliqua pars eius notabilis , conſequitur , eum eſſe illicitum quoad illam partem. Et cùm ratio ſuæ induſtriæ conſiſtat in hoc , quòd collatio illa pecuniæ cenſeatur eſſe mutuum , & ratione mutui nihil vltra ſortem iuſtè capi poſſit, & per hunc Contractum vltra ſortem capiatur lucrum , neceſſariò iudicandus eſt vſurarius quoad prædictum dimidium : cui rurſus conſequens , vt lucrum acceptum reſtitui debeat ; & ita hæc pars affirmatiua videtur tenenda , quod is contractus eſt partim licitus , & partim illicitus : licitus quidem quoad dimidium pecuniæ manens*

periculo

periculo eam conferentis : illicitus autem quoad alterum dimidium, & quod lucrum receptum pro dimidio pecuniæ non manentis periculo conferentis est restituendum. Hæc Nauarrus. Ex quibus patet, quam pugnantia sibi loquatur; reuera enim veritas vel ab inuito hæc verba extorsit; fieri enim non potest, vt aliqua pecuniæ pars assecuretur, quin in mutuum transeat, & consequenter si tota pecunia assecuretur, tota etiam in mutuum transibit. Iam verò si mutuum contractum esse supponatur siue ex parte pecuniæ, siue ex tota pecunia, quidquid supra sortem assecuratam percipietur, vsura erit, nec proinde vlla lucri pars sperari potest, secundùm quam alia pactio iniri possit de assecurando capitali compensatione factâ ex remissione alicujus partis lucri sperati, cùm nullum iustè sperari posse supponatur ex mutuo contracto. Sed vt præterea pateat, quod ipsemet Nauarrus majori cum cautione loquatur in consiliis, quam in Manuali Confessariorum, eius verba proponam, quæ habentur *lib. 5. cons. 16.* vbi sic ait: *Quidam contulit mille in societatem mercaturæ pannorum, quam iniit cum N. cum pacto, vt ipse*

ipse assecuret principale, & insuper det illi pro sua parte lucri ad rationem quinque pro centum. Quæritur, an huiusmodi contractus sit iustus, & quomodo possit talis fieri? Et si fortè defendi posset contractus prædictus societatis factus in forma supra posita cum assecuratione capitalis, & certi lucri ei adjecta; mihi tamen videtur confusionem quandam, & palliationem præ se ferre, quia licèt possit contrahi societas, cum capitali, & lucro saluis per tres contractus, vt nos dicimus in Manuali Confess. non tamen potest contrahi societas iusta, ita vt socius obligetur ad prædictas assecurationes, quod satis inuenitur fieri in prædicta forma contractus: vt ergo palam sit iustus, fiat ad formam contractus societas simpliciter ad damnum, & lucrum sic, vel sic iustè diuidendum; & perfecto super illo instrumento, fiat in eadem, vel alia charta, vel alio capitulo contractus alius separatus, quo accipiens pecuniam assecuret conferenti capitale pro pretio expresso, & iusto, ac si esset tertia persona, quæ assecuraret: & perfecto ex instrumento super assecuratione capitalis, fiat in eadẽ, vel alia charta, vel alio capitulo aliud instrumentum, in quo dicatur, quod tantũ lucrum verisimiliter iustè

iustè posset dari conferenti pecuniam in tali terra, & in tali mercatura, & tali tempore: & quod accipiens pecuniam ad excusandas molestias computationum, &c. *assecurat tantum partem lucri verisimilis pro remissione iusta certæ partis lucri sibi remittendi.* Ex quibus patet, quod multò cautiùs Nauarrus in Conſ.loquatur quam in Manuali, cùm velit ſucceſſiuè fieri inſtrumenta pactionum, ne dans pecuniam in vſurariā prauitatem incidat. Vnde etiam patet, quantum ipſe abſit ab illa priori ſententia, quâ virtualiter, & implicitè factos contractus propugnabat: quæ profectò opinio eſt excuſatio vſurarum, & incentiuum.

Alios authores miſſos facio, tum quia omnes fere Majoris, & Nauarri authoritate ducuntur, quibus tanquam ducibus præcipites in illam ſententiam feruntur, nullo ſatis graui fundamento, & nullo nouo argumento.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

Conclusio totius operis cum adiuncta Reprehensione eius consuetudinis, qua lucrum ex pecunia in hac Prouincia exigitur.

EX superioribus patet, quòd omne lucrum supra sortē pecuniæ mutuo datæ sit vsurariū, legeque naturali, diuinâ, & humanâ prohibitum; vt clarè ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & Pontificibus probauimus: nec à tali prauitate excusant istæ palliatæ societates cum suo duplici adiuncto contractu assecurationis capitalis & lucri, quas quidem perperam nobis obtrudere conantur. Siue enim societas cum mercatoribus adiuncto duplici assecurationis contractu expressè iniri supponatur, siue virtualiter tantùm cum iisdem mercatoribus iniri fingatur, siue denique cum aliis quibuscunque diuitibus, qui ex acceptis pecuniis res suas prosperè gerunt, & cumulatissimè amplificant, societas ista fucata institui pronuntietur; reuerà tamen nihil nisi mu-

tuum

tuum intercedit, ex quo lucrum percipere iniquissimum est, vt perspicuè ex supra dictis demōstrauimus. *Nolite errare,* fratres charissimi, *Deus non irridetur,* vt ait Apostolus: nō erit illi societas cum Patre, & filio, qui istis iniquis actibus societatem prætexit, quidquid supra sortem exigitur, vsura est; hoc natura vetat, Deus in lege prohibet, Christus in Euangelio damnat, lex Ecclesiastica, & Ciuilis grauissimis pœnis coërcet. *Ignoratisne*, vt ait Basilius homil. 4. in psalm. 14. *maius vos additamentum peccatis, quàm pecuniis facere. Nihil interest,* inquit Ambr. lib. de Tobia, cap. 10. *inter funus & fœnus, nihil inter mortem distat & sortem.* Et cap. 5. *Non tales sortes tibi Scriptura monstrauit: si dormiatis inter medias sortes* (sic enim ipse legit) *si medio illarum dormisses sortium, id est, veteris, & noui Testamenti, non te pecuniæ cupiditas in voraginem teterrimi fœnoris demersisset.*

Post Basilium, & Ambrosium Leo Magnus *sermone 6. de Ieiunio decimi mensis versus finem*, ait; *Mutiplicatur quidem facultas iniustis, & tristibus incrementis; sed mentis substantia contabescit, quia fœnus pecuniæ funus est animæ. Quid est infelix*

aſtutia, quod te ipſum decipis? Quomodo ſecuritatis Iura habere potes communia cum eo, in quem totum periculum capitalis, in quem omnia damna, omnes labores, & expenſas refundis? Non poteſt profectò conſcientiæ ſecuritas cum iſtis aſſecurationibus conſiſtere: nullo modo tuta eſt animæ ſalus ſaluo pecuniæ capitali. Quantis ſpiris Deus Bone! Quantis flexibus cupiditatis ſerpens ſeipſum flectit, & in orbem colligit, vt caput ſeruet! Audi Ambroſium lib. de Tobia, capite 12. *Pecunia fœneratoris omnia mala ſua concipit, parit, & nutrit: atque ipſa magis in ſobole ſua creſcit triſti prole numeroſior, non minus flexuoſa quàm ſerpens, atque in orbem ſe totam colligens, vt caput ſeruet: reliquo flagellat corpore, illud ſolum producit ad vulnera, ſpiris ingentibus, quos comprehenderit, ligat; ſolo capite interficit; ſaluo capite etiamſi reliqua pars eius dilapidata ſit, reuiuiſcit.* Nonne ſentis tuum periclitari caput, dum pecuniæ caput ſaluum fore paciſceris? Si nolis tuam periclitari ſalutem, noli in ſocietate capitalis & lucri ſecuritatem expoſcere: Committe te periculo, ne pericliteris: O quanto interuallo diſtat cupiditas ab illo ſerpente Euangelico,

cuius

cuius prudentiam imitari quilibet Christianus monetur: *Estote*, inquit, *prudentes*; non verò *Estote astuti*, vt serpentis prudentiam imitaremur, non vt astutiam sectaremur: vnde adiunxit, *& simplices sicut Columbæ*, vt simplicitas columbæ omnem astutiæ machinationem excluderet. Vis audire, in quo sita sit serpentis prudentia: si fidem in primis seruare cures, & salutem in tuto ponas: Reliqua verò terrena tanquam externa bona & minus præcipua potius periculo exponas, quam salutem; *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Imitare huius serpentis prudentiam, sed fuge veternosi serpentis astutiam: ille ad Cœlum inuitat, iste ad terram trahit, qui mediam partem stellarum sua cauda è cœlo ad terram detraxit, vt postmodum ad Tartarum secum abripiat. *Doctores*, inquit, Ambr. 4. lib. de Tobia, cap. 4. *fœneratori putant diabolum comparandum, qui vires animæ, & pretiosæ mentis patrimonium fœnerat: quosdam vsurariæ iniquitatis sic sumptu capit, sic auro illicit, sic reatu inuoluit, sic caput pro thesauro reposcit.* Quid vobis iniquius, qui nec sic capitis

solutione estis contenti ? Primus fœnerator diabolus est, à cuius tyrannide nos Christus exemit, qui ex vsuris,& iniquitate redemit animas nostras, vt ait Psalmista: *Quis peccati fœnerator*, inquit Ambr. eodem lib. cap. 9. *nisi diabolus, à quo Eua mutuata peccatum obnoxiæ successionis vsuris defœnerauit omne genus hominum? Denique quasi malus fœnerator chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore deleuit.* Et infra: *Quid distat malitia fœneratoris, & principis mundi: fœnerator pecuniæ caput obligat, manum tenet, sorte ducit. O qualem habes fœnerator Principem, qualem ducem sequeris! Te Christus ex vsuris, & iniquitate eius redemit, cur pecuniæ caput assecurando apud proximum animæ caput obligas apud diabobolum?* Sed tempus est, vt ad prauam, quæ in istis Regionibus viget, consuetudinem descendamus.

Multi itaque hoc modo pecunias mercatori, aut alij tradunt, vt mercator, seu alius per simplicem schedulam profiteatur se pecuniam accepisse in maiori quantitate, quàm reuerâ acceperit, additâ videlicet eâ parte, quæ post annum supra capitale recipienda est: totamque istam

pecuniæ

pecuniæ ſummam poſt annum ſe reſtituturum promittit. Vbinam, quæſo, vel leuis trium contractuum imago apparet? Nonne apertâ fronte in vſuras auari prorumpunt? Nonne per publicum mendacium, & damnabilem falſitatem, ſuam iniquitatem occultare conantur, vt legis pœnam effugiant, & Iudices fallant? Fraus iſta legis circumſcriptio eſt, non cuſtodia: ſi licitum eſt pactum, cur velamen obtexis? Si licitum non eſt, cur incrementum requiris? Profectò, ſi honeſta, & licita eſſet ſocietas; ſi legitimus contractus, tanto ſtudio non abſconderetur, nec adeo aſtutè mendacij, & falſitatis pallio obuolueretur. Itaque proprio conſcientiæ teſtimonio condemnantur, legiſque violatores eſſe conuincuntur, dum legis pœnam vitare moliuntur, duplicemque iniquitatem ſuo facto accumulant, vſuram ſcilicet, & falſitatem; augendo enim pecuniam, augent peccata: Cur enim timent ſi legem non violant? Si malum feceris, time, ait Apoſtolus, non enim poteſtas ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit; Vis autem non timere poteſtatem, bonum fac: non eſt

 poteſtas

potestas nisi à Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt: Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: maximè cùm Regiæ constitutiones non nisi in defensionem sacræ Scripturæ, & sacrorum Canonum editæ sint, vt ipsimet Christianissimi Reges *ibidem* profitentur. Hic dicere liceat cum Psalmista: *Et mentita est iniquitas sibi*; dum enim auarus, seu fœnerator Iudicem fallit, seipsum maximè decipit; temporales quippe facultates iniustis dum auget lucris, æternam hæreditatem amittit, crudelius suæ insidians saluti, quàm proximorum fortunis. Contra ista auaritiæ mancipia hîc dici potest, quod habet Ambr. lib. de Tobia, cap. 12. *Vna pecunia à fœneratoribus datur, & quam multa à debitoribus exiguntur: Quanta tibi fecerunt vocabula? Nummus datur, & fœnus appellatur, sors dicitur, & caput vocatur: multorum capitum immane prodigium numerosam exactionem efficit; syngraphum nuncupat, chyrographum nominat, obligationem asserit.* Et cap. 13. *Pecunia fœneratoris vix plantata iam pullulat, hodie seminatur, cras*

fructi

fructificat; semper parit, nunquam interit; semper plantatur & vix euellitur. Et alibi: *Pecunia vsum non habet, & vsuram requiri, fructum non profert, & fœnus colligis: si vis vt tibi fructificet, & frugifera fiat, veræ societati committe, vt pariat, sed hac lege vt tibi pereat, si perire contingat: aut tibi non pariat, si sine fructu maneat. Agricola acceptâ spicâ semen rursus sub radice non scrutatur,* vt ait Basilius, *tu vero fructus habes, nec desinis ipsam redituum sortem requirere: ab hoc turpi lucro, si sapias abstinebis: sine terra enim plantas, sine satione metis, cùm incertum sit, cui congreges.* Audiamus Senecam lib. 7. de Beneficiis, cap. 10. *Vt etiam ab extraneis sententiæ nostræ subsidia colligamus, video,* inquit, *diplomata, & syngraphos, & cautiones, vacua habendi simulachra, vmbras quasdam auaritiæ laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem. Quid fœnus, & Calendarium, & vsura nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? Quid sunt istæ fabulæ, quid computationes, & venale tempus? Voluntaria mala ex constitutione nostrâ pendentia, in quibus nihil est, quod subiici oculis, quod teneri manu possit, inanis auaritiæ somnia.*

Plerique non minus iniqui, quàm primi post datam pecuniam debitorem coram Iudice conueniunt,& ad publicùm Tribunal citant, vt debitum soluat, aut interesse: falsò prætexentes, se pecuniâ suâ indigere, vt publico isto mendacio Iudicem fallant, debitorem vsuris onerent, propriæque cupiditati faueant,cùm reuerâ nihil magis timeant, quàm capitalis solutionem; non enim pecunias repetunt, sed vsuras authoritate publicâ quærunt: quasi verò legitimè interesse exigere possint; cùm interea nullum damnum patiantur: Iudicem quidem fallunt, sed Deum nullatenus decipere possunt; nec enim ipsis Iudex interesse adiudicat, sed nec adiudicare potest,nisi quia supponit, creditores, qui suos debitores ad Tribunal citant, suâ pecuniâ indigere,& ex mora damnum sustinere. Quis nesciat, nec Regem, nec Iudicem exigendis vsuris authoritatem impertiri posse,cùm Ius naturale, & Diuinum obsistat, & reclamet; nec enim humuna potestas, aut Regia Maiestas naturalia, & diuina Iura conuellere potest, quibus subiici necessitas, repugnare nefas, præsidere velle impietas. Hos versutos fœneratores

ratores Basilius menstruos repetitores appellat, velut dæmones, qui epilepticos faciunt;debitores enim circa lunæ periodos inuadunt: Alludit autem Basilius ad suorum temporum consuetudinem, quia fœneratores vsuras à suis debitoribus singulis mensibus exigebant. *Vbi tempus impleueris*, ait Ambros. *sicut lupus fœnerator nocte irruit, dormire non sinit: Quis neget, istam mutui consuetudinem vtrique danti pariter, & accipienti iniquam esse*, vt inquit Basilius, *huic quidem in pecunias, illi vero in ipsam animam suam damnum, pœnamque afferentem. Vnde merito genus hoc auaritiæ* τόκοσ *Græcè appellatur, id est, partus*, vt idem Basil. obseruat in Psalmum 14. *ob multiplex mali germen, siue fœcunditatem, aut fortè vt parturiginem, ac mœrores anxios, qui in eorum mentibus gignuntur, qui grauati sunt fœnore.*Et paulò infra: *Hi fœtus vsurarum genimina viperarum dicuntur; viperas enim aiunt ventrem matris perrodendo nasci: sic item fœnera debitorum domos absumendo nascuntur.* Cui sententiæ adstipulatur Ambr. *Hæc est*, inquit *progenies viperarum, Echidna fœcunda pœnis viscera trahens partu suorumpitur,& morte*

te materna docet ſobolem non eſſe degenerem in matrem : igitur vbi primum incipiunt eſſe ſerpentes, illam morſibus ſuis ſcindunt: illic ergo, vbi naſcitur, venenum primum probatur. Quis neſciat *Deuter* 23.vbi nos legimus : *Non fœneraberis fratri tuo*, Hebræos ſic habere : *Non morſum inferes fratri tuo*, quaſi dicatur, non mordebis fœnore fratrem tuum ; quia ſcilicet fœnus proximi ſubſtantiam abſumit. Eleganter Chryſoſt. in illud Matthæi 5. *Volenti mutuari*, &c. ait : *Similis eſt pecunia vſurarij morſui aſpidis ; percuſſus enim ab aſpide quaſi delectatus vadit in ſomnum, & per ſuauitatem ſoporis moritur, quia tunc venenum laten-ter per omnia membra decurrit : ſic qui ſub vſura accipit, ſub tempore quaſi beneficium ſentit ; ſed vſura per omnes facultates eius decurrit, & totum conuertit in debitum.*

At multi, inquis, ex ſumpto fœnore diuites facti ſunt ; plures magis ab hoc, puto, ſe laqueis implicuerunt : *Tu diuites factos reſpicis, eos verò, qui ſibi fauces præfocarunt, non numeras*, vt ait Baſilius in eodem loco ſupra citato. Addiderim plerumque eos, qui ex acceptis pecuniis lucrantur

lucrantur vltra fœnus impoſitum, aut vſuras exercere, aut fraudes adhibere, vt vltra impoſitum fœnoris onus res ſuas augere poſſint. Audi Ambr. lib. ſæpe nominato de Tobia, cap.14. *Putas, te piè facere, quia à negotiatore aliquid ſuſcipis: inde ipſe fraudem facit in mercium pretio; vnde tibi ſoluit vſuram: fraudis illius tu author es, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudauerit: quodcumque ſorti accedit, vſura eſt.* Et lib.3. de officiis, cap.3. *Ipſa lex Domini pecuniam ſine vſuris reddendam cenſet; ſubuenire enim non habenti humanitatis eſt; duritiæ autem plus extorquere, quàm dederis.* Et infrà: *Hanc humanitatem vocas, vbi eſt iniquitatis auctio.*

Hæc qualiacunque, provt mihi ex tempore licuit, in hunc locum congeſſi. Vnum ſupereſt, quod ad prudentiam, & diſciplinam facere poteſt, videlicet, vt ab iſtis omnibus auaritiæ fraudibus, ab omnibus iſtis cupiditatis præſtigiis abſtineamus, alioſque à trium contractuum vſu retrahamus: Tum quia res eſt periculo plena: Tum quia vulgare, & familiare vſurarum pallium eſſe ſolet: non abs re itaque erit, obſeruare, quàm

longè

longè ab omni iniquitatis , & palliationis ſpecie eſſe debet , quiſquis chriſtianæ pietatis zelator eſſe voluerit , vt certas, ac tutas vias ſequatur , maximè ſi Ambr. audiamus Epiſt.24.ad Vigilium : *Populi,* inquit , *conciderunt fœnore , & ea publici exitij cauſa extitit : vnde nobis ſacerdotibus id præcipuè curæ ſit , vt ea vitia reſecemus , quæ in plurimos videntur ſerpere.* Et reuera quiſquis Doctoris titulo gloriatur , quiſquis ſacerdotali charactere inſignitur, totis viribus niti debet, vt ab iſtis auaritiæ commentis populos compeſcat ; hæc enim noua inuenta potius ſunt cupiditatis irritamenta , quàm conſcientiæ medicamenta : neque profectò ex omnibus iſtis nouis dogmatibus , vel vnum pietatis Chriſtianæ granum elici poſſet. Quid enim , amabo , hæc ad morum emendationem faciunt , cùm nouas potiùs artes auaritiæ præſtruant, quibus callidè cupiditas ſæuiat , non quibus ſalubriter conſcientia ipſa ſanetur. Hæc profectò figmenta nec populo ſuggerenda,nec in populo toleranda , ſed potiùs per doctrinæ puritatem emendanda , & per diſciplinæ ſeueritatem amputanda, quàm per noxiam benignitatem nutrienda

da ſunt : *Exorari enim in perniciem rogantium ſæua bonitas eſt*, aiebat Seneca : Iſtis ſanè lenimentis auarorum conſcientia non ſanatur, ſed magis cupiditas ipſa prouocatur ; non itaque ad turbidos riuulos, ſed ad puriſſimos ſanctitatis fontes recurramus, vt puriſſimas morum leges, vt ſalutares diſciplinæ regulas hauriamus. Conſulamus antiquitatem, contemnamus nouitatem ; vt enim ait Tertullianus : *Principalitas veritati, nouitas mendacitati deputata eſt.* Vnde prudenter Cœleſtinus Epiſcopos Galliæ monebat : *Deſinat inceſſere nouitas vetuſtatem ; non ſit illis liberum pro voluntate habere ſermonem.* Recurramus ad Scripturæ Oracula : *Domine,* ait Pſalmiſta, *quis habitabit in tabernaculo tuo ? Qui iurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* Audiatur Euangelium : *Mutuum date, nihil inde ſperantes. Sed, proh dolor ! facta eſt fides temporum potiùs, quam Euangeliorum*, vt cum Hilario loquar, *Omnia pro tempore, nihil pro veritate.* Optatus Mileuitanus *lib.* 1. *contra Parmenianum.* Conſulatur, inquam, antiquitas, apud quam tanta fuit ſemper morum integritas, quanta

L fidei

fidei puritas enituit, quanta viguit disciplinæ ſeueritas: cùm itaque conſulimur à populo, conſulamus & nos Scripturam ſacram, Conciliorum canones, Pontificum decreta, ſanctorum Patrum ſententias: vnde Leo Magnus *Epiſt.6.* aiebat: *Frequenter quidem in diuerſarum quæſtionum ambiguo, fratrum corda titubantia, Spiritu Dei inſtruente ſolidauimus.* Reſponſionum formas vel ex ſanctarum Scripturarum diſciplina, vel ex Patrum regulis colligentes, nullatenus itaque faueamus cupiditati, non indulgeamus auaritiæ, figmentis non morem geramus conſulentium voluntati, ſed reſpondeamus cum Gregor. VII. lib.9. Epiſt.9. ad quendam Comitem: *Nihil tibi præter id, quod ſacra Scriptura, & ſacri canones præcipiunt, reſpondere poſſumus: nulli licentiam peccandi dare poſſumus, aut debemus, cùm ipſi eam non habeamus.* Ex his fontibus ſummi Pontifices ſuas reſponſiones hauriebant, & nos eorum exempla ſequentes ex iiſdem fontibus noſtram Doctrinam, & noſtras deciſiones depromere debemus, ne vnquam à veritatis tramite deflectamus; ſic enim fiet, vt pro iuſtitia agonizantes, & pro iuſtitia certantes

tantes vſque ad mortem, vt ait Eccleſiaſt. *cap.* 4. gloriam victoriæ obtineamus. Deus enim pro nobis expugnabit inimicos noſtros, vt *ibidem* dicitur, nec profectò aliter ad æternæ vitæ claritatem pertingere poterimus, niſi ad iuſtitiam erudierimus multos; qui enim ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.

FINIS.